



DISSERTATIONES,

QUIBUS

JUDÆORUM ERRORES, FALSAQUE DE PROMISSO SIBI MESSIA PRÆJUDICIA REFELLUNTUR,

F. JOANNIS CLEMENTIS

CECCHETTI

DE CENTRALE,

ORDINIS MINORUM OBSERVANTIUM, PROVINCIÆ DIVI ANTONII.



VICETIÆ, MDCCL.
Ex Typographia PETRI ANTONII BERNI
SUPERIORUM PERMISSU.

CHRISTO JESU CRUCIFIXO

Omnium Creatori, ac Reparatori

AUCTOR fupplex dicat, confecratque.

CUM omnia Omnipotenti debeantur; Tibi ergo Summo omnium Creatori, ac Reparatori JESU CHRISTO hafce contra Judæos Differtationes, quas Te infpirante orfus fum, & Te auxiliante pro Tua bona voluntate ad optatum finem perduxi, confecro. Omnia quæ in his benè

dixerim Tibi accepta refero, a quo bona cuncta procedunt, & ad quem omnia revertuntur, ut ad omnium eorum, quæ boni quid habent, principium & finem. Tibi me totum trado, Teque obsecro, ut in omnibus rebus, atque actionibus meis, potentissima Tua illa dextera regas me; qua Petrum in fluctibus ambulantem, ne mergeretur erexisti. Fac, ut Te solum in omnibus rebus meis, pro scopo mihi proponam: omniaque mea dicta, ac facta, ad laudem, gloriam, & honorem Tui Sanctissimi Nominis, proximique utilitatem dirigam: qui cum Patre, & Spiritu Sancto, vivis, & regnas, per omnia sæcula sæculorum. Amen.



CHRI-

CHRISTIANO LECTORI

S.


ANtequam, Lector benevole, huic Volumini des operam, volo te paucis alloqui. Sunt enim de quibus in antecessum admoneri te, cum tua, tum vero etiam mea perquam interest. Ego cum, prout institutum vitæ meæ, cui Divina Clementia sum addictus, postulat, divinis litteris, eoque sermone ac lingua quo Deus Optimus Maximus oracula sua mortalibus innotescere voluit, semper sim delectatus; in id maxime incumbendum studio meo duxi, ut Christum e veteribus illis integumentis Legis ac Prophetarum, quantum possem ac valerem, apertum in dies magis, ejusque divinam veritatem illustriorem atque clariorem habere possem. Qua in re cum profectus mei me nequaquam pœniteret, accidit ut quæ assidua cogitatione ipse mihi non in alium quam privatum usum comparaveram, existimarem aliquando non inutiliter posse cum aliis fortasse communicari. Hoc enim videbam poscere legem illam regiam caritatis, qua nos Dominus invicem quasi conglutinavit, ut nemo nostrum sibi tantum privatim laboret, verum etiam iis omnibus pro quibus, ut ait Apostolus, Christus mortuus est. Ne multa; cœpi leviter primo ac sensim; tum crescente, ut fit, amore operis, multo etiam operosius hinc inde colligere ex divinis litteris, quæ mihi apertissime videbantur Christianam fidem adversus eos confirmare, quibus ipsæ illæ litteræ cum a Deo traditæ sint, nunc tanto beneficio miserrime abutuntur, idest, ut jam tute intelligis, adversus Hebræos. Quod ut ordine facerem in primis curandum erat mihi. Itaque id primum esse mei operis duxi, ut quidquid Hebræi ad convellendam Christi fidem commenti sunt velut justam in aciem ita disponeretur a me, ut nihil dissimulatum, nihil prætermissum appareret. Enim vero, mi Lector, hoc saltem mihi videbis præstitum, ut nulla sit ratio, nullum telum, aries nullus adversariorum, cujus in opere meo dissimulationem caussari quis possit. Hoc ergo primum. Tum deinceps argumenta, nisi me animus fallit, haud levia sic opposui viribus adversariorum, ut spem maximam in ordine collocarem quo illos essem aggressurus. Itaque, ut quod

res

res est dicam, videor mihi quodammodo meam methodum hanc posse dicere quam tu vides, cum Hebræorum objecta disponendi, tum etiam ita confutandi, ut veritas e conflictu rationum victrix per seipsam elucescat. Hoc ergo potissimum a me ut meum habeas volo. Nam quod attinet ad singularum rationum quæ pro nobis afferuntur, expolitionem expositionemque, jam tu scis, Lector, vix esse aliud argumentum de quo æque ac de isto meo liceat dicere: *nihil dictum quod non dictum sit prius*. Haud enim libros, verum profecto & Bibliothecas in promptu est videre doctissimorum scriptis refertas adversus Hebræos. Cur ergo negligi opus esset labores tantorum virorum? Cur ergo non eorum proficerem egregio studio? Cum præsertim non gloriolæ comparandæ caussa, verum utilitatis meorum Fratrum laborarem. Nempe ut collectum hic, ordine non ineleganti, nisi fallor, invenirent, quibus & suam ipsi fidem solarentur, & argutias inimicorum repellerent. Hoc volui; hoc si mihi Dominus Jesus per Clementiam suam dederit, erit sane de quo immensas ei habeam gratias. Itaque non refugi vel ipsis uti verbis Illustrium Scriptorum, nedum argumentis; quin etiam aliquando & paginis. Haud enim existimabam posse haberi meliora. Cujus rei te nescium volo non esse. Imitaborque laudatam illam integritatem viri docti qui circa initia sæculi decimi quarti hoc in eodem argumento laboravit, Porcheti Salvatici Genuensis, Cartusiani. Is cum librum scriberet, cui titulum fecit: *Victoria adversus impios Judæos*; non est veritus in præfatione operis, postquam Raimundum Martini appellaverat, hæc addere: *a quo sumsi hujus libelli materiam in plerisque compilandi. Qui fuit vir eximius tam in scripturis Hebraicis & Arabicis, quam Latinis*. Hæc germana simplicitas est. Candor hic ingenua dignus indole, moribusque Christianis. Antequam te desino alloqui, Lector, hoc etiam alterum audi. Sæpe videbis loca Sacrarum litterarum adduci apud me ad litteram ex Hebraicis libris. Hoc tibi ergo persuadeas factum, non quod vulgatam editionem haud tanti habeam, quanti sane Catholicus quisque debet. Verum cum agendum esset mihi cum hoste perquam duro ac difficili, melius omnia præcludi effugia sum arbitratus, ubi neque de verbis ipsis aut apicibus quiritandi ulla occasio tortuosissimo adversario præberetur. Imitatusque sum hic Raimundum Martini, qui in procemio Pugionis Fidei, hæc profitetur: *ut eo-*

rum

rum quæ apud Hebræos sunt , ex verbo in verbum , quotiescumque servari hoc potuit, transferam veritatem. Per hoc enim Judæis falsiloquis lata valde spaciosaque subterfugiendi præcludetur via : & minime poterunt dicere, non sic haberi apud eos , ut a nostris contra ipsos , me interprete veritas inducetur. Nec plura mihi sunt , Lector, quibus morari te velim . Reliquum , ut si quid utilitatis e labore meo ad te senseris pervenire , laudes ac celebres bonorum omnium luminum Patrem, qui servorum suorum , quantumvis abjecti sint, instrumento utitur ad suam gloriam. Oremus autem uterque, quo magis magisque sive per nos , sive per quos ipse vult, excelsum illud, amabile, ac venerandum Christi Filii sui nomen propaget in omnes oras , ac celebrandum efficiat iis quoque, qui magno cum ipsorum infortunio , adhuc rebelles perseverant. Vale.



FACULTAS REVERENDISS. P. MINISTRI GENERALIS
totius Ordinis Fratrum Minorum.

CUM Opus compositum a R. P. JOANNE CLEMENTE CECCHETTI *a Centrale nostræ Observ. Prov. S. Antonii Lect. Jub., cujus titulus est:* Dissertationes, quibus Judæorum errores, falsaque de promisso sibi Messia præjudicia refelluntur, *a duobus RR. PP. Theologis, quibus id commisimus, revisum, & approbatum fuerit; vigore præsentium facultatem eidem concedimus, quatenus servatis servandis, illud typis mandare possit.*

Dat. Romæ ex Nostro Aracælitano Conv. die 20. *April.* 1748.

F. Raphael a Lugagnano Minist. Gen.

APPROBATIONES THEOLOGORUM
Ord. Fratrum Minorum S. Francisci Observantium.

VIsis, ac lectis accurate jussu Reverendiss. P. Raphaelis de Lugagnano Minist. Gen. totius Ord. S. P. N. Francisci, Dissertationibus, quibus Judæorum errores, falsaque de promisso sibi Messia præjudicia refelluntur, *ab* Adm. R. P. JOANNE CLEMENTE CECCHETTI *de Centrale, ejusdem Ord. Sac. Theol. Lect. Jub., faciliori methodo, ac vigilantiori studio elaboratis: nihil in ipsis inveni contra fidem, imo sanam, & perutilem doctrinam. Ideo Operæ pretium existimo eas typis mandari posse, ut magis, magisque elucescat Catholica Veritas.*

F. Joseph Maria de Marostica Lect. Jub. & Ex-Prov.

REverendiss. P. Raphaelis a Lugagnano totius Ord. S. P. Francisci Minist. Gen. jussis obtemperans, revisi opus, cujus titulus: Dissertationes, quibus Judæorum errores, falsaque de promisso sibi Messia præjudicia refelluntur, *ab* Adm. R. P. JOANNE CLEMENTE CECCHETTI *de Centrale ejusdem Ord. S. Theologiæ Lect. Jub. compositum. Nibil in eo inveni, quod aut fidei Catholicæ, aut bonis moribus plane consentaneum non sit: imo plura inveni, quæ sane ad confringendam Judæorum pervicaciam valde idonea sunt, & Ecclesiæ Catholicæ perutilia. Idcirco Operæ pretium duxi typis tradendum.*

Dat. in Conventu S. Blasii Vicentiæ die 15. *Martii* 1748.

F. Joannes Maria de Longa Lect. Jub. & Def.



DISSERTATIONES,

QUIBUS

JUDÆORUM ERRORES, FALSAQUE DE PROMISSO SIBI MESSIA PRÆJUDICIA REFELLUNTUR.

DISSERTATIO PRIMA.



Essiam divinitus promissum jampridem venisse, hominibusque feliciter illuxisse, non obscure colligitur ex Jacobi vaticinio, quod est Geneseos 49. cap. vers. 10.

Sanctissimus ille Patriarcha morti proximus, vocatis ad se filiis suis, paternam benedictionem largiturus, iisdemque divino afflatus spiritu ventura nuntiaturus, dum benediceret filio Judæ, ex cujus stirpe, & Tribu nasciturus erat Messias, ita ipsi fausta ominatus est: לא יסור שבט מיהודה ומחקק מבין רגליו עד כי יבא שילה ולו יקהת עמים hoc est, *non recedet sceptrum de Juda, & legislator de medio pedum ejus, donec veniat Sciloh, & ei erit aggregatio populorum*. Venturi Messiæ prædictionem his inesse, negare jure non possunt Judæi. Etenim Paraphrastes Chaldaicus Onkelos, qui cum Hebraicis Bibliis editus est, de Messia locum hunc interpretatur his verbis: לא יעדי עבד שולטן מדבית יהודה וספרא מבני בנוהי עד עלמא עד דייתי משיחא דדי ליה היא מלכותא וליה ישתמעון עממיא idest *non auferetur qui facit potestatem de domo Judæ, & Scriba de filiis filiorum ejus usque in sæculum, donec veniat Messias, cujus est regnum; & ei obedient populi*. Ita etiam antiquissimus liber *Beresith rabba*, in

quo ſcribitur שילה ה מלך המשיח *Sciloh eſt Rex Meſſias*. Ita quoque ſentiunt Jonathan, & Targum Jeroſolymitanum. Quibus ſuffragatur & David Kimchius in libro *Seraſſim*, hoc eſt, radicum: aliique veteres illius nationis Doctores, quos recenſere longum eſſet. Iidem porro omnes Hebræam vocem שילה *Sciloh*, nomen eſſe *Meſſiæ* peculiare teſtantur: & varias iſtius dictionis origines afferunt: de quibus Hebræorum commentarii, ac Scripturæ Sacræ Interpretes legi poſſunt, David Kimchius, quem inter alias ſignificationes de Meſſia expoſuiſſe diximus Aben-Ezra, & R. Selomoh, qui itidem Meſſiam intelligunt. Atque hi poſteriores duo nomen illud deducunt a לו..של, hoc eſt *cui*, quod 70. ſecuti videntur. Verterunt enim, *cui reſervatum eſt* (cui regnum reſervatum eſt.) Alii, *quæ repoſita ſunt ei*. Utroque modo hic ſeptuaginta virorum locus citatur ab Antiquis: Ita quod in Hebræo compendioſe ſcriptum erat commode ſuppleverunt. Nonnulli ita interpretantur, donec *veniat pacificus*, ſive *pacificator*, *tranquillus*, vel *felix*, a voce Hebraica שלה *Scalach*, quæ ſignificat felicem eſſe, tranquillum, quietum, ſecunda fortuna uti. R. Bechai in comm. ſuo in hunc locum ſcribit: שילה ideſt, בנו שיולד משלית אשה כדרך כל הנולדים *Sciloh*, hoc eſt, *filius ejus*, *qui naſcetur ex ſecundis mulieris*, *juxta viam omnium qui naſcuntur*: eſtque vox deſumpta ex ſignificatione vocis בשליתה Deuter. cap. 28. v. 57. Quod autem potius dicit שילה quam בנו eo innuit Jacob, ſe de Meſſia peculiariter loqui. Alii ita interpretantur *donec veniat Sciloh* (Meſſias) ideſt, tranquillus, & æternæ tranquillitatis auctor; quippe qui ſingulari modo ex ſecundis mulieris, ſine viri operatione naſci debebat. Latinus noſter, *qui mittendus eſt*, reddidit, videtur legiſſe, שלוח *Sciloach*, ideſt miſſus, a שלח *Scalach*.

Sed non eſt hoc loco neceſſe pluribus ejus vocis notionem perſequi. Quod enim ſatis eſt, ad rem noſtram, abunde liquet, ex auctoritate veterum Judæorum, prædictionem illam Jacobi ad Meſſiam pertinere, & hunc illius eſſe ſenſum: penes Judam, hoc eſt, vel Tribum ab Juda propagatam, nominatamque; vel Judaicam Gentem, manſurum eſſe ſceptrum: ideſt, poteſtatem & imperium uſque ad Meſſiæ adventum. Cum igitur jampridem abolitum, extinctumque ſit illud imperium, illa poteſtas, ille vel unius ex iſta Tribu, vel totius Tribus, Gentiſque dominatus, ac

præ-

prærogativa (: neque enim ingredi est animus nunc in eam disputationem, quid horum potissimum in ista prophetia sit intelligendum, post multas virorum clarissimorum in hoc argumento disputationes: cum quidquid lectori magis arrideat, semper tamen ineluctabile hinc argumentum conficiatur:) immo vero cum nusquam Judaici populi, Tribusve communitas, aut civilis gubernatio; aut ejus nominis civitas ulla supersit; nec quidquam eorum attentare fas ipsi sit, quibus cōnstat regia potestas, puta reos morte plectere, bella denuntiare, monetam cudere, leges proponere: sed huc illucque dispersa sit, invisa, despecta, contempta, ludibriis omnium objecta, ac toto orbe dissipata misera ista natio; quis non vaticinio illi pridem clausulam suam appositam esse fateatur? quis non tempus illud agnoscat, quod ab Osea cap.3. v.4. prædictum, designatumque sic est, כי ימים רבים ישבו בני ישראל אין מלך ואין שר ואין זבח ואין מצבה ואין אפוד ותרפים *quia dies multos manebunt filii Israel sine Rege, & sine Principe, & sine Sacrificio, & sine Altari, & sine Ephod, & Teraphim?*

Quod si quid jurisdictionis ex moribus, institutisque majorum in contractibus, aut ritibus suis exercet populus Judaicus, id nonnisi precario, & earum quibus servit nationum indulgentia, vel Principum obtinet. Ubicumque quippe terrarum infelix habitat, Principibus paret, ac servit, quorum in ditione degit, nec supplicio quenquam e suis afficere, nec jus aliunde petere, quam ab publicis magistratibus potest; non suo, sed eorum apud quos turmatim inhabitat, arbitrio constitutis.

Si autem a civilibus ad Sacra animum vertamus, in Judæos præjudicata res est. Si enim ut veritas habet, nulla sine sacrificio, sine sacerdotio stare vera religio potest; prodant obsecro nobis, quodnam ipsi nunc Sacerdotium, quod sacrificium penes se habeant. Sacrificia quippe nec offerunt Hebræi, nec offerre jam possunt, juxta ordinem Aaronis, quem unicum jactant, & profitentur. Destructo siquidem Tabernaculo, & Salomonis Templo solo æquato nullus illis suppetit locus, ubi offerre nunc liceat. Sacerdotes nec habent, nec habere ullo modo possent, ut sacra peragerent, tametsi Salomonis Templum instauraretur. Cum enim nonnisi ex Levitica Tribu Sacerdotes assumere fas illis sit, suasque Tribus usque adeo permixtas, & confusas habeant, ut Leviticam a cæteris secernere nequeant, nulla illis seligendorum Sa-

cerdotum facultas est. Nulla itaque civilis, nulla Sacra apud Hebræos suprema potestas est; nulla Respublica, nulla religio; adeoque fateantur necesse est, Messiam divinitus promissum adventasse jampridem, hominibusque feliciter illuxisse.

Quanto efficacius laudatum Jacobi oraculum adversus Judæos probat certum tempus adventus Messiæ, & ex eo concluditur evidenter jampridem illum venisse; tanto pertinacius Judæi, qui fuerunt post adventum Adorandi nostri Salvatoris, multiplici tergiversatione vim illius eludere atque effugere conati sunt, varias hujus vaticinii interpretationes confingendo, quibus apertam rectamque ejus sententiam quoquomodo infuscarent atque perverterent. At quoniam simplex est, & una veritas, anceps vero & multiplex mendacium, in diversas opiniones propter obscuritatem dictionum, quæ habentur in textu Hebraico, dissipati sunt. Quidam enim primo, vocem Hebraicam שילה *Sciloh* referunt ad Mosem, vel ad Saulem, vel ad Jeroboamum, vel ad Nabuchodonosorem. Secundo, ajunt aliqui dictionem Hebraicam שבט *Scevetb*, quam latinus noster Interpres *Sceptrum* vertit, sive *Virgam*, sceptrum quidem hoc loco significare, non tamen summum imperium, quod in Tribu Juda, vel in Judaica Gente ad Messiæ adventum permansurum sit; sed sævum & impotentem dominatum, quo misera ipsorum Gens ab alienis Principibus premitur & vexatur. Quæ calamitas finem accipiet, cum Messias advenerit. Tertio, alii docent non eum esse sensum hujus vaticinii quem profitentur Christiani, sed plane contrarium: hæc enim verba, inquiunt, עד כי יבא שילה *usque dum*, sive *donec veniat Messias*, non significant Principatum a Tribu Juda non auferendum donec venerit Messias, sed post Messiæ adventum nunquam deinceps sceptrum Judæ auferendum: ipse enim adveniens restituet Tribui Judæ imperium, idque in posterum ita firmabit, ut nunquam deficiat. Volunt igitur hunc esse verum germanumque hujus prophetiæ sensum: *non auferetur sceptrum de Juda, & legislator de medio pedum ejus* עד *in æternum*, ut hic sit comma: alteram vero voculam כי referendam esse ad secundum versiculi membrum, *postquam venerit Messias*. Quarto, alii effugium quærunt in יבא, quod illis abire significat, atque inde figurate *devastari*, seu *everti*. Ajuntque hic usurpari, sicut in phrasi בא השמש *sol vadit*, idest, *occidit*. Hæc depravatio est apud Bechai: *donec veniat Sciloh*,

loh, hoc est, *donec destruatur tabernaculum in scilo; & habet eam significationem quam habet in phrasi, vadit sol. Atque hanc expositionem invenimus in hagiographis*, *Psalm.* 78. 60. *quod Juda non acceperit regnum usque dum destructa est scilo. Hoc nimirum est quod David dicit, rejecit tabernaculum scilo, &c. Videlicet postquam desolata est scilo, venit Samuel & unxit Davidem*. Quinto, R. Moses Gerundensis vult dictionem יקהת denotare חלושה idest, *debilitationem*, a radice קהה quæ sonat *obstupescere*, *obtusum fieri*. Legitur vero etiam in Beressith Kezara fol. 110. *& ei erit* יקהת עמים. Nam ipse (Rex Messias) *veniet & contundet dentes populorum hujus sæculi*. Sexto demum, per vocem עמים intelligit R. Bechai dum ad Mosem refert oraculum populum Israeliticum. Affert vero exemplum ex Deuter. cap. 33. v. 3. *etiam diligit populos*: est autem sermo de Israelitis. Neque abest ab hac sententia R. Hiskia Chaskuni.

Hæc porro levia sunt, & absurda. Mosem igitur prædici, ut observavimus, nonnulli opinantur, ea maxime ratione, quod Sanctissimus Patriarcha in terra Ægypti morti proximus prophetiam istam fuderit, ubi posteros suos defuncto Josepho male multandos prænoscebat: atque idcirco, ut eos spe bona solaretur, Mosem liberatorem a Deo mittendum prædixit.

Verum inepta est hæc expositio: de Mose quippe nequit intelligi cum nullum in Tribu Juda, aut etiam in tota Judaica Gente fuerit summum imperium, sive regia majestas ante Mosem; qui igitur potuit a Tribu Juda, vel a tota Israelitica Gente auferri? Et ne merito quiritentur cæci homines, pollicitationem de liberatore ex præsenti exilio jam ante habebant, Genes. cap. 15. v. 14. quam Josephus postea morti proximus repetiit, & inculcavit fratribus, Genes. cap. 50. v. 23. Corruit ergo sententia hæc, seque ipsa jugulat.

Non minus hallucinantur, qui ad Saulem referunt, qui in urbe Scilo Rex a Samuele per unctionem creatus, & consecratus sit, ut vaticinii hic sit intellectus: *non recedet sceptrum de Juda, donec veniat tempus quo Saul in Scilo Rex inaugurabitur*.

Verum istud commentum cum historiæ veritate pugnat. Non enim in *Scilo*, sed in *Ramatha*, seu *in Ramathaim sophim* unctus est Saul a Samuele, in Maspha vero Rex ab eo renuntiatus est, ut constat ex 8. 9. & 10. cap. primi libri Regum. Deinde, a-

borto

borto Saule Regia poteſtas de Juda non receſſit ; ſed contra poſt ejus obitum , ſuccedente Davide , ejuſque poſteris imperium in Tribu Juda per annos ferme quingentos maxime floruit . Inepta itaque eſt hæc expoſitio, *non auferetur ſceptrum de Juda* , *donec Saul in Regem ungatur*.

Ingentis etiam ignorantiæ ſpecimen produnt , qui Jeroboamum indigitari hoc loco volunt, quaſi in Scilo Regem creatum ; non enim in Scilo , ſed in Sichem Rex creatus eſt , ut liquet ex lib. 3. Regum cap. 12. v. 20. Deinde , Jeroboamo in Regem Iſraelis ſuper decem Tribus electo , Judæ imperium neutiquam extinctum eſt, quod penes Roboamum, & reliquos Davidis nepotes ad Sedeciam uſque manſiſſe, certe perſpicuum ſit.

Nec minus aberrat , quod alii dictitant , Nabuchodonoſorem Regem Chaldæorum hoc Jacobi oraculo prænuntiari , quem miſſum eſſe a Deo ad punienda ſcelera Judæorum, Jeremias cap. 25. 27. 50. 51. & Ezechiel cap. 26. aperte prodiderunt . Eaque de cauſſa dictum eſſe, *non recedet ſceptrum de Juda*, & *legislator de medio pedum ejus*, *donec veniat Scilob:* quia Nabuchodonoſor, Judæis in captivitatem abductis , Judaicum imperium Tribui Judæ eripuit , capto , effoſſiſque oculis , ducto Babylonem Rege Sedecia; ac demum urbem, Templumque evertit , ut lib. 4. Regum cap. 25. legitur.

Verum cæcutientium hoc eſt effugium, qui qua effugiant non vident. Quanquam enim hanc [illegible]deciæ Judæorum Regi injuriam irrogaverit Nabuchodonoſor Chaldæorum Rex, non idcirco tamen eo tempore ſceptri auctoritas Judæorum nationi ablata fuit , nec Judææ imperium extinctum eſt. Hoc enim ego urgeo, veniſſe jam Meſſiam abſque dubio , quoniam Judaica Gens caret nunc omni ſpecie imperii, qua non omnino caruit ante Jeſum noſtrum; quia poſt ſolutam captivitatem Babylonicam ſub Reipublicæ forma Magnatibus ſuis paruit, ſuiſque legibus ſtetit ad Herodem uſque annis plus quingentis. Quo tandem tempore, ad Alienigenam tranſlato ſceptro, ſuprema auctoritate exuta eſt . Ad hoc enim tempus Euſebius, & alii referunt implementum prophetiæ. Mihi autem, ut dixi, perinde eſt, dum fateantur, ablato nunc certe regno, eam abſque dubio finem jam accepiſſe. Accedit & iſtud obſervatione digniſſimum, Jacobum proxime moriturum, benedictionemque filiis largientem fauſta, lætaque filio ſuo Judæ ominatum

eſſe:

esse: id ejus ad filium oratio integra diserte probat: non faustum porro, lætumque, sed malum admodum esset omen, si Nabuchodonosorem Dei vindicis administrum prænuntiasset. Aliæ igitur erant Sanctissimi Patriarchæ cogitationes, alia suspiria, de mundi illo Redemptore, non de eversore; de misso a Patre ad servandos Judæos, non de impulso a superba dominandi cupiditate ad eos trucidandos, de optatissimo Redemptore, non de formidabili atque execrando oppressore; de Rege Cœli, non de Rege Babylonis; de Messia, non de Nabuchodonosore cogitabat. Demum, quid respondebunt isti, qui vocem שילה referunt ad Mosem, vel ad Saulem, vel ad Jeroboamum, vel ad Nabuchodonosorem, suis consortibus, Rabba, Raschi, Baal Turim? Nonne enim hi de Messia intelligunt? Sic quoque Chaldæi præcipue Paraphrastæ, & Talmudistæ etiam, quos secuti sunt R. Selomoh, R. David Kimchi, & R. Aben-Ezra.

Felicioribus ad divinandum ventis non ducuntur, qui dictiones שבט *Sceveth* sceptrum, מחקק *Mechokek*, quod latinus noster Interpres *Ducem* reddit, denotare autumant tyrannicum imperium, quo misera ipsorum Gens passim affligitur & opprimitur. Cui vexationi tum a Deo finem impositum iri putant, cum Messias advenerit. Felicioribus, inquam, hi ad divinandum non ducuntur ventis. Facile quippe refellitur opinio hæc ex verbis a Scriptore Sacro adjectis, quibus מחקק Mechokek *Ducem*, sive *legislatorem hunc de medio pedum Judæ* proditurum prædicit. Unde perspectum est, non externos, quibus parere coguntur, Principes, sed consanguineos eorum ac tribules prædici.

Hinc & ii confutati manent, qui dictionem Hebraicam שבט *Sceveth*, quam vulgata nostra vertit *sceptrum*, sive *virgam*, significare hoc loco volunt, non virgam dominationis ac principatus, sed tribulationis ac tyrannicæ oppressionis. Omnes quippe Judæi, qui suæ linguæ Dictionaria ediderunt, fatentur vocabulum שבט *Sceveth*, si solitarium sit, tyrannicum imperium non sonare; sed plerumque sceptrum, seu dominium justum. Demus tamen, vocem שבט *Sceveth* dominationem generatim significare, tam æquam & legitimam, quam tyrannicam: hanc vero non designare dicimus, nisi adjuncto epitheto, ut in Psalmo 2. v. 9. determinata est בשבט ברזל, *in virga ferrea*; & Isaiæ cap. 10. v. 5. הוי אשור שבט אפי *væ Assur virga furoris mei*. In aliis porro

ro locis ubi absque nomine determinante sævitiam legitur, imperium justum denotat, cujus virga, seu sceptrum symbolum est. Hoc sensu usurpatur loco laudato Geneseos, & Psalm. 45. v. 7. שבט מישור שבט מלכותך *virga æquitatis*, *virga regni tui*. Deinde, de ea virga sermo est in illo vaticinio, quæ respectiva est ad Ducem, sive legislatorem: nam habetur, *non recedet sceptrum*, seu *virga de Juda*, *& legislator*, sive *Dux de medio pedum ejus*: virga porro legislatoris, sive Ducis, est virga principatus, & dominationis: de hac itaque Jacob loquitur, non de virga tribulationis, oppressionis, & vexationis. Quæ cum ab annis mille, septingentis, ac quadraginta octo ablata sit, & legislatores, sive Duces de medio pedum Judæ desierint, Messiam dudum adventasse certissime liquet. Præterea, si calamitas ipsorum, & dura servitus a Jacobo, ut volunt, prædicta, finem acceptura non erat donec Messias veniret, ipsum jampridem venisse necesse est; quippe a Davide usque ad Sedeciam annorum ferme quingentorum spatio regiam potestatem obtinuit Tribus Juda: suis enim vero Ducibus, & Regibus paruit Judaicus populus; nullumque toto illo temporis tractu exterorum Principum dominatum passus est. Rursus, post Sedeciam, solutamque captivitatem Babylonicam sub Reipublicæ forma Principibus suis iterum paruit, suisque legibus sub Aristocratico imperio sub Machabæis ad Herodem usque stetit annis, ut superius etiam observavimus, plus quingentis. Igitur Messiam jampridem venisse necesse est, si venire debuit, quandocumque deficeret virga tribulationis ab Israelitico populo. Sæpius enim per ista intervalla defecit. Demum, his depravationibus Rabbinicis, opponimus, 1. Paraphrastas Chaldaicos, Onkelos nimirum, Jonathan, & Jerosolymitanum. 2. Talmud, Massecheth Sanhedrin pag. 5. col. 1. 3. Rabbinos, Raschi scilicet, Salomonem, Rabba, Mosem Bar Maimon, Ramban, Bechai, Redach, David Kimchi, Kaschuni, Hiskia, Salomonem Urbinam; hi porro omnes vocem שבט *Scevetb* accipiunt pro sceptro regio, vel Principatu; ut alios jam sileam qui idem decernunt. Sunt autem hi auctores inter Hebræos insignes, & passim noti. 4. Scripturam Sacram: hanc postposuimus propter obcæcatos Hebræos, qui plus tribuunt suis Rabbinis quam verbo Dei. Ex contextu perspicue intelligitur sermocinari Sanctissimum Patriarcham de sceptro regio, quod ut supra etiam observavimus,

ma-

majeſtas verborum arguit. Ita enim loquitur: יהודה אתה יודוך אחיך *Jehuda es tu, laudabunt te fratres tui*. Deinde, comparat eum cum leone, propter potentiam. Unde ſine controverſia promanat appellatio Novi Teſtamenti: nuncupatur enim Chriſtus *leo de Tribu Juda*, Apocalypſ. cap. 5. v. 5.

Altera interpretatio aliorum dicentium hoc in oraculo non ſignificari, ſceptrum a Tribu Judæ nunquam auferendum uſque ad Meſſiæ adventum; ſed potius poſt ipſius adventum nullo tempore deinceps ablatum iri ſceptrum Judæ: hæc, inquam, interpretatio non minus falſa eſt, quam præcedens: illa enim plane corrumpitur ac pervertitur ſententia Jacobi: nam ipſe ait, *non recedet ſceptrum de Juda, & legislator de medio pedum ejus, donec veniat Meſſias*: iſti diabolica plane malitia exponunt, *non recedet ſceptrum in æternum, poſtquam venerit Meſſias: donec autem venerit, & poſtquam venerit* valde diverſa ſunt; illud enim reſpicit futurum Meſſiæ adventum, hoc autem, jam præteritum. Has præterea ineptias, & aniles nugas manifeſte detegit atque explodit doctrina accentuum, quam erudite propoſuit Elias Levita in libro accentuum cap. 2. Hebræi enim totam orationem primo dividunt in periodos, quas notant duobus craſſiuſculis punctis a latere adhærentibus, & virgula recta infra literam ultimæ dictionis, quæ vocatur *ſilluc*. Deinde ſingulas periodos diſtribuunt in cola, ſeu membra, quæ notantur *Athnachtha*. Tum ſingula cola rurſum in commata, quæ varie exprimuntur. *Athnach*, ſive *Athnachtha* igitur poſt *Silluc* omnium accentuum eſt maximus. At vero is immediate hic antegreditur voculam עד, quæ habet *Jethib* accentum longe minoris virtutis. Eſtque hic ordo, *non recedet ſceptrum de Juda, & legislator de medio pedum ejus* (Atnach) עד כי *donec* veniat, ſive, *uſque dum veniat Sciloh*. Ergo עד inchoat ſecundum membrum, & ad primum nunquam poteſt retrhai, quia Athnach tanquam rex major ibi ſtationem fixit, & minorem iſtum regulum imperio ſuo prohibet. Hæc ſunt clariſſima; & tamen fuerunt ex principiis grammaticis huc repetenda propter obſtinatam Judæorum malitiam: quæ in hominibus plebejis tolerari poſſet, qui grammaticæ rudes ſunt, niſi patronos haberet Rabbinos in lingua Hebræa exercitatos. Deinde, Paraphraſtes Chaldaici legunt, *non deficies*, &c. *in ſæculum donec*, Onkelos. *Non deficient Reges uſque ad tempus quo*, Jonathan. Eodem modo Je-

B rolo-

rosolymitanus. Rursus, vox עד constructa cum כי nunquam significat seorsum, sed ambæ conjunctim significant *donec*, *usque*. Exempla sunt Geneseos cap. 26 v. 13. & cap. 41. v. 49. Pro quibus alias est עד אשר. Demum, in aliis Scripturæ locis particula עד Jethib affecta post Athnach non potest nisi ad alterum versus colon, seu membrum referri, ut Judicum cap. 4. v. 24. *& ibat manus filiorum Israel eundo, & dura erat contra Jabin Regem Chanaan usque dum*, sive *donec* עד אשר *exscinderent Jabin Regem Chanaan*. Paria hinc inde in Sacris litteris observantur. Unde simul corruit fundamentum argumenti contra Christianos supra adducti. Procedit enim ex falsa interpretatione textus. Neque enim עד *perennitatem*, sive *æternitatem* hoc loco significat, neque כי *postquam*, ut contendunt isti.

Ingentis etiam ignorantiæ specimen produnt, qui effugium quærunt in יבא *javo*, quod ipsis significat *devastari*, seu *everti*. Quam enim falsa sit hæc expositio constat, 1. ex textu Chaldaico, sic enim legunt omnes עד דייתי *donec*, seu *usque dum veniat*. 2. Rabbinis, Rabba, Raschi, &c. qui juxta litteram intelligunt. 3. ex grammatica: verbum בוא *bob* nuspiam significat *interire*, seu *devastari*. Quod enim stulti homines afferunt de sole ineptum est, ac ridiculum, ut omnibus perspicuum est, neque huc potest applicari. Quanquam enim sol dicitur *occidere*, tamen id non intelligitur de *interitu*, seu *devastatione*, ut clarissimum est. At talis significatio verbi בוא *bob* est in figmento Rabbinico: quare absurda est comparatio. Præterea, perperam affirmatur de urbe *Scilo*, fuisse tempore Davidis destructam: demonstrent vero prius ex divinis litteris, & tunc ipsis adjungemus fidem. Quod si fecerint erunt illi mihi magni Apollines.

Perinde ridendi veniunt, qui יקהת *ikeath* volunt sonare חלושה, idest, debilitationem a radice יקהה, quæ sonat *obstupescere*, *obtusum* fieri. Verum præterquam quod hæc interpretatio est contra 1. Chaldæos, qui reddidere *obedientiam*, *& aggregationem Gentium*. 2. Rabbinos, scilicet R. Salomonis, Aben-Ezræ, R. Kimchi, R. Mardochæi, qui pariter interpretati sunt dictionem illam *obedientiam*, *& aggregationem Gentium*. 3. Procedit ex crasso somnio Judæorum de terreno regno Messiæ, & celat implacabile odium adversus Christianum Magistratum: est enim ipsis subjectionis jugum intolerabile: quod non semel, ut videbimus, conati sunt excute-

re

re antequam essent hinc inde dispersi, ut proximis sæculis post Jesu nostri nativitatem. Grammatica quoque reclamat, dicendum enim fuisset juxta hunc sensum קהיה. Sed præstat impudens hoc os obstruere eleganti interpretatione, quam super hunc textum affert Rabba in Gen. fol. 113. *Ad eum* (Messiam) *aggregabuntur populi: sicut scriptum est, Radix Isai, quæ stat in vexillum populis, ipsum inquirent Gentes.*

Longe demum a veritate aberrant, qui vocem עמים *ammim* ad populum Israeliticum tantum, non vero ad populos cujuscumque nationis referunt. Quam porro inepta sit hæc expositio, præter auctoritatem Rabbinorum, Rabba, Raschi, Aben-Ezra, aliorumque, liquet etiam ex Grammatica: nam dicitur populi עמים in numero plurali: Israelitæ autem non sunt populi, sed populus unus. Est enim populus, qui utitur eadem religione, jure, nomine. Exemplum vero R. Bechai e Deuteronomio desumptum non est ad rem, quinimo pro nobis facit, modo bene intelligatur. Quippe ibi עמים haudminus ac in loco Geneseos, qui est præ manibus, non Tribus, at Gentes ostendam significare. Duo sane ibi Moses caute distinguit. Horum primum est, Deum regere clementer Israelitas, iisque dedisse legem: hoc in iis verbis מימינו אש דת למו *a dextera*, sive *in dextera ejus ignea lex eis*. Quo dicto subdit אף חבב עמים *etiam diligit populos*. Ergo secundum hoc debet contradistingui priori: at prius agebat de Israelitis subjacentibus legi quam Moses igneam vocat; igitur hoc posterius ad alios pertinet diversos ab Israelitis. Diversæ autem sunt ab iis Gentes, ergo pertinet ad Gentes, quas, prout earum creator, diligit Deus, ac præcipue sanctos, famulos, amicosque suos tuetur. Ergo עמים etiam hic significat Gentes, plane ut in loco nostro Geneseos, adeoque futilis instantia R. Bechai. Nititur etiam falsa hypothesi ista interpretatio: textum enim detorquet ad Mosem, & Jeroboamum. Præterea, ubicunque apud Hebræos ponitur dictio hæc עמים *ammim*, *populi* in plurali numero, semper pro Gentibus accipitur. Atque hæ sunt interpretationes Rabbinicæ quibus inquinarunt vaticinium Sanctissimi Patriarchæ.

Sunt vero etiam non pauci qui tam manifesta luce adacti concedunt significari hoc vaticinio, mansurum in Tribu Juda sceptrum, donec veniat Messias, negant tamen ipsum adhuc venisse, quia manet etiamnunc in Tribu Juda sceptrum, & impe-

 rium.

rium. Sed ubi terrarum aut Gentium sceptrum, & imperium habet Tribus Juda? Respondent, in extremis Asiæ partibus, in America, & Æthiopia.

At hoc effugium, splendidum est, putidumque mendacium: cujus in auctores aptissime convenit, quod ait Æschines Orator: *Vanos homines, cum aliquid mentiuntur, quædam minime definita, & obscura loqui, ne redargui possint.* Cui consonat Judæorum illud proverbium: *qui vult mentiri procul faciat testes suos.* Quis fando unquam audiit Hebræorum esse regnum, aut civitatem aliquam, aut Rempublicam sui juris, ac potestatis? quis Judæorum extat hodie Rex, vel Princeps, qui vitæ, necisque potestatem in suos exerceat; qui leges condere possit, & qui pacis, aut belli jus habeat; qui alia denique gerat, & administret, quæ sunt regni, vel civilis propria regiminis? Præterea, si talia regna extarent, quibus soli imperarent Judæi; quomodo hæc Christianorum, Turcarum, aut Persarum nullus aliquando detexisset, hoc ipso præsertim tempore, quo remotissimæ, & hominibus prius ignotæ nationes Americanæ, & Insulares compertæ sunt, & deprehensæ? Mirum foret profecto tantam hominum multitudinem, bonis omnibus florentem, ita delituisse ad hanc diem, ut post tot, ac tantas hominum nostrorum peregrinationes adiri non potuerit. Quomodo Judæi omnes, qui per Europam, Asiam, & Africam vagantes sub duræ captivitatis jugo gemunt, non se se recipiunt in ista præstantissima regna, quibus summa pace, libertate, ac bonorum copia donarentur? Verisimile quippe non videtur, malle Judæos ubique terrarum dura premi servitute, quam ad hos Reges suos confugere, sub quibus pacifice respirare possent, si certi essent existere orbis plagas aliquas in quibus Reges illi imperium Judæorum moderarentur. Quomodo tandem factum est, ut nullus ex illis florentissimis regnis Judæus aliquando ad nos adventarit, ut quid in eis geratur, aperiret? Verum tam crassa & supina est illa fictio, ut necesse fuerit ad eam occultandam, confugere ad extremas, & incognitas orbis plagas, nulli viatori hactenus perspectas. Facilius quippe mendacia in tuto ponerent recentiores isti Judæi, si in globo lunæ regna sua collocarent.

Erunt fortasse, qui dicant, fabulosa hujusmodi regna, quæ a mortalium nemine ad nostram usque ætatem retecta sunt, impervia

via esse, & ab omni hominum commercio sejuncta, utpote igneis mœnibus, ac montibus immensis circumsepta, & oppansis nubibus inaccessa.

Verum si ita est, qua arte, quave industria ex iis regionibus inaccessis ad ipsos legati commearunt, ut hæc rescire possent, litterisque mandare, cum omnis aditus esset interclusus? Nisi dicant fortasse solis Judæis hanc facultatem divinitus fuisse concessam, quod credet Judæus Apella, non ego. Nec advertunt, quam stupendo dissidio invicem committantur professi fabulatores. Namque regna, partim in extremis Asiæ partibus, partim in America, & partim in Æthiopia constituunt.

Non eam hic commemoro nonnullorum opinionem asserentium nondum impletum esse Jacobæum vaticinium, quia manet etiam nunc sceptrum & imperium in Syria: nullum tamen inde ad nos legatum commeare, quia interjacet Sabbaticum flumen, quod ut sola die Sabbati navigabile est, ita Judæis die illa iter suscipere non licet. Hanc, inquam, opinionem non refero, namque gratis omnino ficta videtur, & ridenda potius, quam confutanda. Ne quid tamen desideretur a lectore breviter eam perstringam. Enim vero nullo labore fabula ista confutatur. Unde enim extare illic sceptrum & imperium didicere? Et beatum illud Syriæ regnum quare mercatoribus hactenus non innotuit? Aut cur alterius etiam nationis, ac religionis legatos, & tabellarios, quibus iter Sabbato agere liceat, nec excipiunt, nec submittunt? Quanquam ut planius dicam, quod res est, nullus hujusmodi fluvius, in Syria visitur modo. Præterea, celeberrimi Rabbini ingenue fatentur Judæos regia potestate, sceptro, ac dominio penitus excidisse. R. Rachmon Talmud Jerof. lib. Sanhedrin: *væ nobis*, inquit, *quia ablatum est sceptrum de Juda, & filius David nondum venit*. R. Bechai in Genes. fol. 73. *nos hodie non habemus Regem, neque Principes*. Et Zemach David part. 2. in præfat. inter decem causas quibus impulsus fuerat ad contexendam suam Chronologiam postremo hanc commemorat, *ut si legant lectores robur magnificentiæ Regum, ac Cæsarum, & nobis in exilio nostro nullus sit Rex, neque Princeps, oremus Deum ut nobis restituat Judices nostros sicut ab initio, & germinare faciat germen Davidis*. Cum his transigant isti blaterones Syriaci. Itaque non solum commentitia; sed etiam inania sunt, & ad rem mini-

minime pertinentia, quæ ad detorquendam Jacobæi vaticinii sententiam Judæi fabulantur.

At quid ultra in iis absonis figmentis confutandis terimus tempus. Judæis jugulum petit Oseas, qui, ut alibi observavimus, infaustum hodiernum Judæorum statum vaticinatus cap. 3. v. 4. vel ipsam imperii umbram, potestatemque omnem ademit: *dies multos manebunt filii Israel sine Rege, & sine Principe, & sine Sacrificio, & sine Altari, & sine Ephod, & Teraphim*. Quo uno vaticinio clarissimo figmenta illa omnia de Regibus apud Judaicam Gentem etiamnum extantibus in antecessum occupavit.

Dicent forsan Judæi, ut laqueum istum effugiant, de tempore captivitatis Babylonicæ vaticinatum esse Prophetam, non de infausto Judaicæ Gentis statu, in quo versatur impræsentiarum.

Verum incidunt in Scyllam cupientes vitare Charybdin. Nam primum videtur apertum, hoc loco Prophetam allusisse ad eam ipsam Jacobi prædictionem, de qua nunc agimus. Ita ut, pro eo quod est Jacobo: *recedet sceptrum*; Oseas dixerit: *manebunt filii Isreal sine Rege*. Atqui *recedere*, dictum de sceptro significat in loco Jacobi, perfectam atque ultimam ablationem regni, vel Hebræis testibus, quacunque ratione intelligatur vox שבט *Scevetb*: igitur etiam Oseas idem sibi voluisse dicendus est, ubi ad hanc prophetiam respicere sese ostendit. Non ergo loquitur de sceptro ad tempus ablato, sed omnino recedente. Deinde, non est dubium, quin per *Ephod*, sine quo futuros Hebræos comminatur Vates, intellexerit manifestationem quæ fiebat per *Urim* & *Thummim*: quod etiam septuaginta sibi voluere, cum ea verba, *Ephod*, & *Teraphim*, interpretati sunt, *Sacerdotium*, & *manifestationem*; & Aquila, *illuminationes*. Jam ergo si locum Oseæ oporteret intelligi de captivitate Judæorum Babylonica, postquam in integrum essent restituendi: quis non videt restituenda illis fuisse, inter alia, etiam hæc *Urim*, & *Thummim*, quibus per totum id tempus carituros fore Propheta vult. Sed hæc sub Templo secundo restituta nunquam fuisse clamat utrumque Talmud Jerosolymitanum, & Babylonicum: quippe numerant *Urim*, & *Thummim* inter quinque res, quæ post Babylonicam servitutem, alteri ædificato Templo defuerunt: ergo Propheta non est ibi loquutus de rebus ad tempus auferendis, atque iterum postea cum reductione in terram Israeliticam restituendis: ergo de hoc tempore loquitur,

tur, quo prophetia, ideſt, *Urim*, & *Thummim*, ſine ſpe reſtitutionis ablata ſunt. Quapropter cum eodem contextu, etiam dicat, *multos dies futuros eſſe filios Iſrael ſine regno*, ratio vult ut pariter dictum capiatur de ultima regni ablatione, cui nunc ſubjacent. Bene ergo David Kimchi, de iſto Prophetæ dicto: *hi ſunt dies exilii, in quo hodie ſumus, nec Regem habemus, nec Principem ex Iſrael. In poteſtate ſiquidem Gentium ſumus, & in poteſtate Regum, ac Principum eorum.* Tum: *non eſt amiculum Deo quod nuntiet futura per Urim, & Thummim.* His paria ſunt quæ S. Hieronymus ad Oſeam: *hi ſunt ergo multi dies, quibus infelix ſynagoga, & mulier adultera hordeo paſcitur, & ſedet contracta, quia cum Chriſto ſtare non poteſt.* Cum antea dixiſſet: *poſt paſſionem Domini Salvatoris uſque in præſentem diem, paulominus quadringenteſimus annus expletur, & quantum temporis reſideat uſque ad diem judicii, nec Angeli noverunt, nec filius.* Ac denique prudenter is quoque animadvertit adluſum hic ad vaticinium Jacobi; ſic enim ſcribit: *de hoc Rege, & Jacob in benedictione Judæ Patriarchæ loquitur: non deficiet Princeps de Juda*, &c.

Meliori fortaſſe fide videntur eſſe Judæorum aliqui, qui cum fictitia prorſus eſſe noverint jactata ſuorum imperia, atque regna, eo deveniunt, ut dicant, Jacobæum hoc oraculum pertinere ad Meſſiam, & ad perpetuitatem Principatus in Tribu Juda uſque ad Meſſiæ adventum; verum non eſſe prophetiam ſimplicem & abſolutam, ſed hypotheticam. Promiſerat Deus Judæis æternam terræ Chanaan poſſeſſionem & habitationem, ſed ſub ea tamen conditione, ſi viciſſim ipſi pietatem, & juſtitiam colerent, legemque Dei cuſtodirent: quod cum non præſtiterint, non mirum eſt quod promiſſionum divinarum fructum non fuerint confecuti. Similiter, inquiunt, Deus principatum uſque ad Meſſiæ tempora Judæ promiſerat, non tamen abſolute, ſed ſub conditione, ſi a Dei cultu, & obſervantia divinæ legis non deficeret: quam quia non implevit, ideo Jacobæi illius vaticinii eventus dilatus eſt.

Verum opinio hæc jure optimo rejicitur, cum nullo Scripturæ Sacræ teſtimonio fulciatur. Nullum etenim Prophetarum vaticinium eſt, quod ſimili exceptione eludi non poſſet, ſi huic adhibetur fides. Et ſane hypotheticæ prophetiæ vel expreſſam habent conditionem cujus interventu exitum habituræ ſunt, vel ex aliis

Scri-

Scripturæ Sacræ locis ea conditio diserte colligitur. Jacobæum autem, quod expendimus, oraculum, nullam conditionem exprimit; nullusque Scripturæ Sacræ locus proferri potest, unde illam colligere liceat. Imo cætera omnia, quæ venturi Messiæ tempus definiunt divinarum litterarum vaticinia, plana prorsus, absolutaque sunt, nec certis conditionibus alligata. Sic venturum illum præcinunt Aggæus cap. 2. v. 7. & seq. & Malachias cap. 3. v. 1. stante adhuc Salomonis Templo a Zorobabele instaurato. Post hebdomadas sexaginta duas occidendum Messiam, nullis plane conditionibus adjunctis, vaticinatus est Daniel cap. 9. Sicut ergo hujusmodi oracula plana, absolutaque fuerunt, non hypothetica; sic etiam illud, quod Jacobi verbis continetur, tempus adventus Messiæ per defectum principatus Judaici significans. Præterea, propter populi Judaici peccata, non distulit Deus illius ex Ægypto, vel Babylone liberationem, quam certo tempore futuram decreverat: ut quid ergo etiamnum ob eadem peccata Messiæ adventum differret? Demum, quamvis Judæorum peccata gravia sint, multo iis tamen leviora sunt, quæ priscis illis temporibus admittebant, & ad quæ luenda barbarorum in potestatem divinitus tradebantur. Nunquid idolis superstitionibusque Gentilium implicantur? Nunquid Baali, & Astartæ sacrificant? Num Molocho initiatos filios suos flammis devovent? Nihil horum hoc tempore simile faciunt. Quare igitur differtur adhuc Messiæ adventus? Fateantur itaque velint, nolint miseri promissionem de Messiæ adventu non fuisse factam a Deo sub illa conditione, si a Dei cultu, & observantia divinæ legis non deficerent, sed omnino absolute.

Unus erit fortasse locus ex omnibus Sacræ Scripturæ, quo abuti Hebræi possint, ut suum illud de hypothetica Messiæ promissione commentum tegant: Psalmi nimirum 132. v. 11. & 12. testimonium, ubi Deus Davidi promisisse dicitur, futurum ut ejus posteri regnum æternum obtinerent, si tamen divinis præceptis obsequerentur: נשבע יהוה לדוד אמת לא ישוב ממנה מפרי בטנך אשית לכסא לך : אם ישמרו בניך בריתי ועדתי זו אלמדם גם בניהם עדי עד ישבו לכסא לך *juravit Dominus David veritatem, non avertetur ab ea, de fructu ventris tui ponam super solium tuum. Si custodierint filii tui pactum meum, & testimonium meum, quæ docebo eos, etiam filii eorum usque in sæculum sedebunt super solium tuum.*

tuum. Vel, ι⁺ legitur in vulgata nostra: *juravit Dominus David veritatem, & non frustrabitur eam: de fructu ventris tui ponam super sedem tuam. Si custodierint filii tui testamentum meum, & testimonia mea hæc, quæ docebo eos: & filii eorum usque in sæculum sedebunt super sedem tuam.*

Verum nec id profecto Hebræorum causam juvare potest. Enim vero particula hypothetica אם *bim*, *si*, refertur ad clausulam subsequentem, *sedebunt super solium tuum*; non autem ad antecedentem in qua fit mentio & promissio de Messia omnino absoluta, & sub Sacramento, ut aperte constat ex ipsomet tenore illorum verborum, *juravit Dominus David veritatem, non avertetur ab ea, de fructu ventris tui ponam super solium tuum.* Duo quippe locus ille Psalmi laudati caute secernit; Messiam ex Davidis semine mittendum, & regium sceptrum temporale ad posteros transiturum. Primum, ut modo diximus, non solum absolute, verum etiam sub juramento pollicetur: *juravit Dominus David veritatem, non avertetur ab ea, de fructu ventris tui ponam super solium tuum.* En primum: tum e vestigio subdit alterum sub conditione pietatis, ac religionis posterorum: *Si custodierint filii tui pactum meum, & testimonium meum, quæ docebo eos, etiam filii eorum usque in sæculum sedebunt super solium tuum.*

Ex iis igitur perspicuum est, promissiones de Messiæ adventu a Deo factas non hypotheticas fuisse, sed planas prorsus, & absolutas; miseramque, qua in præsentia premuntur Judæi ubique Gentium, calamitatem aliunde ortam non esse, quam ex illata Jesu Nazareno, qui fuit verus Messias, nefaria morte.

Obfirmant nihilominus animum, infaustumque hodiernum Judaicæ Gentis statum, aliunde ortum volunt, quam ex illata Christo Jesu morte. Inquiunt enim primo, nihil cum Jesu Nazareno habere commune suam illam, qua premuntur ubique Gentium miserrimam, & longissimam calamitatem, nec in peccati alicujus pœnam illis a Deo esse inflictam: sed in majus divini erga ipsos amoris argumentum, virtutis explorandæ, probandæque caussa; scilicet, ut eorum virtus rebus adversis, sicut igne aurum, purior, atque illustrior evaderet. *Tanquam aurum in fornace probavit illos* (justos nimirum) *& quasi holocausti hostiam accepit illos*, Sapientiæ cap. 3. v. 6. *Quem enim diligit Dominus corripit*, Proverbiorum cap. 3. v. 12. *Ac quemadmodum via impiorum pro-*

speratur nonnunquam, Jeremiæ cap. 12. v. 1. Ita nil mirum, si rebus adversis premantur, & justi sæpenumero. Eo vel maxime, quod si pœnæ loco inflicta esset Judaico populo miserrima calamitas adeo diutina, statutas justitiæ leges Deus prætergressus esset, secundum quas *visitat peccata patrum in filios in tertiam, & quartam generationem*, Numerorum cap. 14. v. 18. Populus enim Judaicus ad centesimam usque generationem adversis urgetur rebus, exilioque damnatur. Secundo, alii dicunt, se non propter necem Christi, sed propter alia quamplurima, & gravissima flagitia, quæ patrarunt, iram Dei adversum se irritasse: tantamque ejus animadversionem, & vindictam, quanta nunc plectuntur, promeruisse. Tum quod nonnisi post annos ab illata Jesu Nazareno morte circiter quadraginta Judaicæ Gentis miserrima calamitas cæperit, non ita procrastinanda, si in illatæ mortis hujus pœnam inflicta esset. Tum quod mitior pro peccati gravitate pœna foret, si verum Messiam interfecisset, quæ potius ob id ipsum deleri ex toto meruisset.

Veruntamen hæc momenta, aliaque similia, mendacii, atque impietatis facile convincuntur. Quod enim ad primum spectat; cum tantum absit, ut hæc calamitas, qua a morte Christi Domini usque in hanc diem perpetuo premuntur Judæi, illis profecerit ad emendationem vitæ, ut multo illis magis improbitatis, atque impietatis occasio fuerit; certe frustra jactatur ab illis se hanc calamitatem, non pati propter cædem Christi Domini, sed virtutis explorandæ, probandæque causa. Deinde, etsi justos, quos amat Deus, pœnis interdum corporalibus afficiat, atque ad definitum tempus, ut eosdem emendet, ac probet magis: spiritualibus tamen, iisque perpetuis nunquam affligit. Gens autem Judaica non corporalibus solum pœnis, verum & spiritualibus; nec temporalibus dumtaxat, sed & perennibus afficitur: qualis quippe est Templi, Sacrificii, ac Sacerdotii jactura ad finem usque mundi duratura: quæ nationis Judaicæ miserrimæ calamitatis, atque exilii pars maxima reputatur. Pœnam autem spiritualem, non ad probandam virtutem, sed ad punienda dumtaxat præterita scelera, Deus infligit. Denique, Judæi sic respondentes, mendacem faciunt Deum. Quippe amplissimis verbis ille sæpenumero promisit, ut videre est in Deuteronomio cap. 11. & 28. Se populum Hebræum, siquidem is bene ac pie viveret, atque in

in legis, quam per Mosém ei dederat, observantia, obedientiaque permaneret, conservaturum omni tempore in terra Chanaan, quam possidebat; a cunctis hostibus defensurum, cunctisque malis liberaturum, atque omni bonorum genere cumulaturum. Quibus omnibus cum a tanto tempore careant Judæi, concludendum est illos talia pati propter gravissimum aliquod scelus ab illis commissum, quo iram Dei adversum se irritaverunt, tantamque ejus animadversionem, & vindictam quanta nunc plectuntur promeruerunt. Divinæ quippe fidelitati repugnat, ærumnis, atque miseriis temporalibus obrui populum integrum (quidquid privatis, ut fit, contingat) nisi in generalis cujuspiam sceleris pœnam. Neque vero consuetas justitiæ leges prætergreditur Deus, dum Jesu Nazareni crucifixorum flagitium ad centesimam usque generationem punit, punietque ad millesimam usque. Quia quandiu scelus patrum affectu perseverat in filiis, tandiu juste punitur in eis nullo determinato veniæ tempore. Sic etiam impræsentiarum Judæi affecti sunt animo, ut Jesum Nazarenum iterato Cruci suffigerent, si forte in illorum manus incideret. Cujus evidens est argumentum implacabile eorum in Christum, & Christianos odium, quo ducti solent quotannis in die passionis Dominicæ infantem Christianum, si habere possint, crudeliter occidere, ut nonnulli graves Auctores testantur, penes quos hujus rei fidem esse volo. Unde puniuntur non propter peccata patrum suorum quomodocumque, sed ab ipsis impie revocata, & continuata. Nil mirum ergo, si in illis paterni etiamnum sceleris pœna perseverat.

Jam vero circa secundum momentum, ostendendum est, gravissimum illud scelus non fuisse aliud, quam perpetratam ab illis Christi Domini mortem, qui fuit verus Messias. Si enim propter alia scelera, quam propter Jesu Nazareni mortem, talia quibus nunc affliguntur paterentur mala, maxime esset scelus idololatriæ, & cædes Prophetarum; hæc enim duo super alia omnia Deus exprobrat Judæis Sacris in litteris, & propterea testatur, gravissimas quasque eorum captivitates, & calamitates, præsertim vero Assyriacam, & Babylonicam, ipsis contigisse: at nec post solutas captivitates istas, nec post Salvatoris nostri adventum, legimus Judæos publice idola coluisse, aut Prophetas occidisse: imo nunquam ab occisione Prophetarum, ab idolis, cultu-

que Dæmonum alieniores: nunquam Mosaicæ legis ac cæremoniarum suarum, quantum ipsis fas est, observantiores fuere, quam post illa tempora; neque tamen ab iis ærumnis extricare se possunt: non libertatem recuperare: non patriam, sedemque divinitus sibi destinatam repetere, non Templum, aut Sacrificiorum jus & usum instaurare per tot annos illis conceditur. Non igitur magnitudo, & diuturnitas præsentis Judæorum calamitatis, vel ad prædicta duo scelera, vel ad alia quæcunque, præter Messiæ indignissimam necem, referri potest. Quod Parricidium, sive Deicidium potius, ut omnium, quæ ab illis aliquando perpetrata sunt criminum atrocissimum, & immanissimum fuit: sic extraordinariis, ac nunquam ad iræ divinæ testificationem, & exemplum posterorum, desituris expiari pœnis oportuit. Quod non obscure apparebit diligenter consideranti discrimen hujus calamitatis, quæ a Tito, & Vespasiano illata, usque in hanc diem perpetuo premit Judæos, atque aliarum calamitatum priorum, quas Judæi ante Jesu Nazareni adventum perpessi sunt; quarum tres fuerunt omnium gravissimæ, & super alias memorabiles, Ægyptiaca nimirum ob Josephi venditionem, Assyriaca ob Vituli aurei adorationem, & Babylonica propter occisionem Prophetarum, ut ipsi ajunt Hebræi. Cum enim in prioribus illis calamitatibus haberent Sacros Vates, qui eos consolabantur, & certa spe recuperandæ libertatis sustentabant; fierent miracula, quibus declarabatur populum Judaicum in Dei esse gratia, & tutela; jam his omnibus, aliisque similibus beneficiis, cernimus eos, post illam Titi, & Vespasiani cladem, videlicet ob Christi Domini mortem ab ipsis nefarie patratam, usque ad hanc diem fuisse privatos. Unde etiamsi Judæi post Jesu Nazareni cædem fuissent idolorum cultores, Prophetasque occidissent; non ideo tamen conveniens prædictis sceleribus esset præsens illorum calamitas. Hæc namque scelera fuerant ante apud illos creberrima, quorum tamen nonnisi septuaginta annorum captivitatis pœnas luerunt. Nullum igitur exitum habent, nullam latebram Judæi: quocunque se verterint, tenentur constricti. Fateantur itaque necesse est, Jesum Nazarenum verum fuisse Messiam, seque ob illius indignissimam necem, omnia quibus puniuntur mala perpeti: siquidem ultionis gravitas, offensionis arguit gravitatem.

Juvat hoc loco referre, quæ D. Hieronymus ad hanc Judæorum

tum voluntariam cæcitatem, perfidiamque redarguendam posuit in Epistola centesima vigesima nona, quam scripsit ad Dardanum: *multa*, inquit, *Judae scelera commisisti; cunctis circa te servisti nationibus: ob quod factum? utique propter idololatriam. Cumque servisses crebro, misertus tui est Deus, & misit judices, & Salvatores, qui te de servitute Moabitarum, & Ammonitarum, Philistinorum, ac diversarum Gentium liberarent. Novissime sub Regibus offendisti Deum, & omnis tua provincia, Gente Babylonica vastante, deleta est. Per septuaginta annos, Templi solitudo permansit. A Cyro Rege Persarum est laxata captivitas. Esdras quoque hoc, & Neemias plenissime referunt. Extructum est Templum sub Dario Rege Persarum, atque Medorum, a Zorobabele filio Salathiel, & Jesu filio Josedech, Sacerdote magno. Quæ passi sitis a Medis, Ægyptiis, Macedonibusque, non enumero. Nec tibi adducam in memoriam Antiochum Epiphanem crudelissimum omnium tyrannorum: nec Pompejum, Gabinium, Scaurum, Varum, Cassium, Sossiumque replicabo; qui tuis urbibus, & præcipue Jerosolymæ insultavere. Ad extremum sub Vespasiano & Tito urbs capta, Templumque subversum est. Deinde, civitatis usque ad Hadrianum Principem per quinquaginta annos mansere reliquiæ. Post eversionem Templi paulominus per quadringentos annos, & urbis, & Templi ruinæ permanent: ob quod tantum facinus? Certe non colis idola; sed etiam serviens Persis, atque Romanis, & captivitatis pressus jugo, ignoras alienos Deos. Quomodo clementissimus quondam Deus, qui nunquam tui oblitus est, nunc per tanta spatia temporum miseriis tuis non adducitur, ut solvat captivitatem, & ut verius dicam, expectatum tibi mittat Antichristum? Ob quod, inquam, facinus, & tam execrabile scelus avertit a te oculos suos? Ignoras? Memento vocis parentum tuorum: sanguis ejus super nos, & super filios nostros. Et, venite occidamus eum, & nostra erit hæreditas. Et, non habemus Regem, nisi Cæsarem. Habes quod elegisti; usque ad finem mundi serviturus es Cæsari, donec Gentium introeat plenitudo, & sic omnis Israel salvus fiat: ut, qui quondam erat in capite, vertatur in caudam.* Hactenus Hieronymus. Si autem hæc omnia Hieronymo, & aliis Patribus ipso antiquioribus visa sunt evidentia, scilicet, Judæos eo tempore non aliam ob causam, quam propter Christum Crucifixum percussos, obcæcatosque fuisse, eosque proinde non tanta pati propter reli-

religionem, sed in pænam, justa Dei sententia, secundum divinarum Scripturarum prædictiones, quid nos dicere debemus, qui illa cernimus continuata & confirmata per septendecim integra sæcula?

Nihil porro refert, si non statim post Christi Domini mortem secuta sit ultio. Non absre profecto id factum fuisse censendum est. Deus enim patienter agit, nolens aliquem perire, sed omnes ad pœnitentiam reverti, ut demum salvi fiant. Certe diluvium non illico immissum est, initio corruptionis omnis carnis, sed post complures annos: captivitas Ægyptiaca non continuo cœpta est, sed post multos annos a Josephi venditione: Assyriaca similiter post annos quamplures a conflato, & adorato Vitulo aureo. Quid mirum ergo, si ad annum post Jesu Nazareni mortem quadragesimum circiter Judaicæ Gentis miserrima calamitas dilata sit, quanquam in tanti flagitii pœnam inflicta censeatur.

Nihil pariter refert, si levior Parricidio, sive Deicidio potius judicetur pœna hæc, temereque inde colligitur, non fuisse illam ad puniendum Deicidium Judaico populo inflictam: cum vix unquam æquales sceleribus pœnas temporarias infligat Deus, qui temperatum misericordia judicium in noxios exercet. Quanquam non satis novi; durius ne in perfidam nationem animadversum esset, si momento deleta fuisset ex toto, quam quod suis expulsa sedibus, dispersa quaquaversum, invisa, despecta, contempta, ludibriis omnium, & cachinnis objecta, ac dissipata in nepotibus etiam, ac pronepotibus puniatur. Quibus & hoc addere possumus: judaicam nimirum Gentem, Romanorum licet armis devictam, subjugatamque, deleri tamen noluit Deus, cujus inscrutabilia judicia sunt, sed servari forsitan: ut objecta semper oculis nostris reprobatæ nationis imagine, summam Dei in nos, quos sibi in Gentem elegit, misericordiam agnosceremus. Quod pie perinde, ac erudite observavit S. Augustinus, enarratione 1. in Psalmum 58. ita Christum Dominum, Romanos Judæorum domitores alloquentem inducens: *Istos inimicos meos, ipsosque, qui me occiderunt, noli occidere. Maneat Gens Judæorum. Certe victa est a Romanis, certe deleta est civitas eorum: non admittuntur ad civitatem suam Judæi, & tamen Judæi sunt. Nam omnes istæ provinciæ a Romanis sunt subjugatæ. Judæi tamen manent cum signo suo: nec sic victi sunt ut a victoribus absorberentur. Non sine causa Cain ille*

le est, qui cum fratrem suum occidisset, posuit in eo Deus signum, ne quis eum occideret. Hoc est signum, quod habent Judæi: tenent omnino reliquias legis suæ, circumciduntur, sabbata observant, Pascha immolant, azyma comedunt. Sunt ergo Judæi, non sunt occisi, necessarii sunt credentibus Gentibus. Quare hoc? Ut demonstraret nobis Deus in inimicis nostris misericordiam suam. In ramis superbiæ præcisis, inserto per misericordiam suam oleastro. Ecce ubi jacent, qui superbi erant: ecce ubi insertus es, qui tunc jacebas. Et tu noli superbire, ne præcidi merearis. Eo sane modo, quo Deus, cujus incomprehensibilia sunt judicia ejus, & investigabiles viæ ejus, *sustinet in multa patientia vasa iræ, apta in interitum, ut ostendat divitias gloriæ suæ in vasa misericordiæ, quæ præparavit in gloriam*, ad Roman. cap. 9. v. 22. & 23.

Superest ut etiam satisfaciamus iis, qui quærunt ut demonstremus quomodo hoc Jacobi oraculum sit impletum.

Et in hoc quoque gratificabimur ipsis. Quare ut summatim dicam, hæc est vaticinii sententia: ex prosapia ac familia Judæ; vel, ut aliis videtur, ex Hebræa Gente semper nascetur aliquis Rex, aut Princeps, qui principatum gerat ac populum gubernet tantisper dum veniat verus Rex Messias: qui non paucis dumtaxat Tribubus, neque uni tantum populo est imperaturus, sed cujus regnum nullis claudetur terminis, ut passim in divinis litteris legitur; præcipue in Psalmo 71. Cæterum esse genuinum hunc sensum ex eventu est perspicuum. Duravit enim imperium istud in universum annos mille & viginti; juxta probatiorem supputationem. Tot enim lapsi sunt anni inter Davidem, & Herodem, quo intervallo hujus imperii durationem metiuntur plerique. Nam a Davide usque ad captivitatem Babylonicam imperium fuit in summo flore, per annos videlicet ferme 500. A captivitate vero etsi fastigium illud nunquam recuperavit (neque enim Jacob id promiserat) perpetuo tamen in populo Judæorum fuit summum aliquod dominium, ut in Zorobabele, & Præsidibus Synedrii. Quod adversus Hebræos ex ipsorum chronologia, Talmud, Seder Olam, Meor Einajim, Juchasin, Zemach David, Schalscheleth, Haccabbala, Cabbala Abrahami, Nahalath Aboth, &c. facile ostendi potest. Quare sceptrum istud divinitus fuit servatum & perductum usque, ut multi volunt, ad Herodem Ascalonitam, qui necato Hircano, postremo Hebræorum Rege, ipse usurpavit re-

gnum,

gnum, & paulo post omnes Senatores Consistorii magni sustulit; excepto uno Samea, ut testatur Josephus lib. 14. cap. 7. Herodes igitur sceptro eos prorsus exuit, omnique potestate spoliavit; ut in Novo Testamento ex actu judiciario Jesu nostri, & deinceps Pauli Apostoli videtur intelligi. Quæ, ubi sic sese habeant; quia igitur thronus Davidis nunquam debuit Rege, aut Principe esse vacuus, juxta pollicitationes divinas, sub ipso Herode Jesus noster, *Scilob Jacobæus*, in hanc lucem est a purissima Virgine editus: qui regnum istud collapsum instauravit & ita amplificavit, ut nec loco amplius, ut antea, nec tempore queat terminari; idque potenter contra omnes inferorum portas tuetur ac gubernat, quanquam modo spirituali. Tale enim debebat habere regnum Messias, quod forsan sui oblitus fatetur R. Juda Leo, Nezach Israel fol. 48. dicens, *omne negotium Messiæ est spirituale, & non corporale*. Sed ut initio prædixi, quomodocumque se habeat ratio, locus, ac tempus ablati ab Judæorum Gente sceptri, perinde habeo. Sufficit mihi sceptrum inde a pluribus sæculis ablatum esse. Cumque conditio illius ea esset, ut ex prophetiæ Jacobææ verbis non deberet auferri, nisi postquam Messias advenisset; ergo absque dubio, nunc ablato sceptro, Messiam advenisse. Quod si Messias advenerit, jam apparet hunc non esse alium ab Jesu Christo quem nos colimus. Cum huic, uti Jacobus prædixit, omnes Gentes adhæserint; sic ut facta sit ei obedientia populorum; vel, ut in Vulgata vertitur, expectatio fuerit ipse Gentium. At ex adverso res Judæorum exinde, non modo caruerint sceptro, at præterea semper in deterius corruerint. Hoc argumentum evitari nequit, adeo evidentia sua nulli cedit Geometrarum demonstrationi. Nunc igitur, o Judæi, intelligite; erudire, o popule duræ cervicis! ..... היום אם בקלו תשמעו אל תקשו לבבכם עבדו את יהוה ביראה וגילו ברעדה : נשקו בר פן יאנף ותאבדו דרך כי יבער כמעט אפו אשרי כל חוסי בו *Hodie si vocem ejus audieritis, ne obduretis cor vestrum ..... Servite Domino in timore, & exultate in tremore. Osculamini filium, ne forte irascatur, & pereatis de via, quia mox exardescet ira ejus* (. Iste filius Jehovæ est Jesus, Messias noster.) *Beati omnes, qui sperant in eo.*

DIS-



DISSERTATIO SECUNDA.



Ampridem advenisse Messiam, ostenditur etiam ex Danielis vaticinio, quod legitur cap. 9. v. 24. & seq.

Secundum testimonium, sicut clarissimum, ita & vulgarissimum ad convincendos perfidos, & contumaces Judæos, quod verus Messias divinitus promissus jam advenerit, desumitur ex Danielis cap. 9. ubi Angelus Gabriel Messiæ cædem, ejusque tempus, & Judaicæ religionis occasum, & urbis, ac sanctuarii demolitionem: tum perpetuum sacrificiorum, ac cæremoniarum, quæ illic ex legis Mosaicæ præscripto celebrabantur, interitum acuratissime describit: ac denique nunquam instauranda hæc amplius; sed ad mundi finem usque in sempiterna vastitate, ac ruina mansura esse prædicit. Hæc sunt verba: שבעים שבעים נחתך על עמך ועל עיר קרשך לכלא הפשע ולחתם חטאות ולכפר עון ולהביא צדק עלמים ולחתם חזון ונביא ולמשח קדש קדשים : ותדע ותשכל מן מצא דבר להשיב ולבנות ירושלם עד משיח נגיד שבעים שבעה ושבעים ששים ושנים תשוב ונבנתה רחוב וחרוץ ובצוק העתים : ואחרי השבעים ששים ושנים יכרת משיח ואין לו והעיר והקדש ישחית עם נגיד הבא וקצו בשטף ועד קץ מלחמה נחרצת שממות : והגביר ברית לרבים שבוע אחד וחצי השבוע ישבית זבח ומנחה ועל כנף שקוצים משמם ועד כלה ונחרצה תתך על שומם *Hebdomadæ septuaginta decisæ sunt super populum tuum, & super civitatem sanctam tuam, ad consummandam prævaricationem, & ad finiendum peccata, & ad delendum iniquitatem, & ad adducendam justitiam sæculorum, & ad complendam*

 visio-

visionem, & Prophetam, & ad ungendam sanctitatem sanctitatum. Scito autem, & animadverte, ab exitu sermonis ad revertendum, & ædificandum Jerusalem usque ad Christum Ducem, hebdomadæ septem, & hebdomadæ sexaginta & duæ: revertetur ipsa, & ædificabitur platea, & fossa, & in angustia temporum. Et post hebdomadas sexaginta & duas, occidetur Christus, & non ei. Et civitatem, & Sanctuarium dissipabit populus Ducis venturi, & finis ejus in inundatione, & usque ad finem belli, decisæ sunt desolationes. Et corroborabit pactum multis hebdomada una: & dimidia hebdomada cessare faciet sacrificium, & oblationem, & super extensionem abominationum admirari faciet, & usque ad consummationem, & decisionem effundet se super admirantem, seu desolatum. Vel, ut habetur in Vulgata nostra: *Septuaginta hebdomadæ abreviatæ sunt super populum tuum, & super urbem sanctam tuam ut consummetur prævaricatio, & finem accipiat peccatum, & deleatur iniquitas, & adducatur justitia sempiterna, & impleatur visio, & prophetia, & ungatur sanctus sanctorum. Scito ergo, & animadverte: ab exitu sermonis, ut iterum ædificetur Jerusalem, usque ad Christum Ducem, hebdomades septem, & hebdomades sexaginta duæ erunt: & rursum ædificabitur platea, & muri in angustia temporum. Et post hebdomades sexaginta duas occidetur Christus, & non erit ejus populus, qui eum negaturus est. Et civitatem, & sanctuarium dissipabit populus cum Duce venturo: & finis ejus vastitas, & post finem belli statuta desolatio. Confirmabit autem pactum multis hebdomada una, & in dimidio hebdomadis deficiet hostia, & Sacrificium: & erit in Templo abominatio desolationis; & usque ad consummationem & finem perseverabit desolatio.*

Cum huic testimonio tam claro non possint aliud Judæi respondere, quam aut non intelligi de vero Messia; aut si intelligatur, nondum tempus pro illo præfixum esse adimpletum: duo etiam opposita sunt nobis demonstranda. Primum, non alium nisi Messiam eo Danielis vaticinio hominibus promitti; alterum, præfinitum tempus, intra quod venturus promissus est, jam hac ætate, atque adeo veniente Salvatore nostro lapsum esse. Cæterum etiam hic præmoneo, non esse instituti mei præcise determinare tempus unde incipiant, vel quo præcise referantur hæ de quibus agimus hebdomades. Nam si evictum fuerit in hac prophetia & de Messia loqui Danielem, & nunc multo plus temporis lapsum exinde

exinde esse quam istæ hebdomades sibi velint ; cum tamen nondum venisse Messiam Hebræi contendant : necessaria consecutione colligemus, eos, nequicquam suum hoc tempore Messiam expectare, qui hominibus jampridem feliciter illuxit.

Et certe, quod ad primum caput attinet, primores Rabbinorum ad Messiam pertinere hoc Danielis oraculum haud quaquam sunt inficiati: non R. Barachias in Beressith rabba, non R. Moses Ben Nachman in Danielem, non R. Samuel in epistola ad R. Isaac, aliique non pauci, quos recensere longum esset. Atque id perspicuum est etiam ex vaticinii contextu integro, dummodo diligenter expendatur. Is quippe venturus promittitur, *qui justitia sæculorum est, & sanctitas sanctitatum: per quem finem accipit peccatum, & deletur iniquitas: in quo visio, & Propheta impletur*. Quis porro, nisi Messias his notis divinis in Scripturis descriptus est? Unde etiam Angelus, ut apertius declararet se hoc loco de vero Messia vaticinari, ipsummet Christi Ducis, nomen Messiæ proprium exprimere voluit: *ab exitu sermonis ad revertendum, & ad ædificandum Jerusalem usque ad Christum Ducem hebdomadæ septem, & hebdomadæ sexaginta & duæ*. Iterum is ille promittitur, qui pactum Dei cum hominibus corroboraret, seu confirmaret: quo charactere Messiam crebro indigitavit Isaias, præcipue vero capitibus 42. & 49.

Stupenda nonnullorum recentium Rabbinorum cæcitas & pertinacia est, qui Christum Ducem Cyrum esse statuunt, aut Jesum Josedechum, aut Zorobabelem, vel Nehemiam. Nemini enim illorum Messiæ characteres a Daniele delineati conveniunt. Nemo illorum *sanctitas sanctitatum, & justitia sæculorum* merito dici potest. Nullus horum occisus est, cum tamen Christus iste, cujus adventum promittit Angelus, occidendus esset: *post hebdomadas sexaginta & duas, occidetur Christus*. Præterea, ii quatuor vitam degebant, quo tempore Danieli visio ista facta est: cum contra is, cujus adventum prædicit Gabriel, nonnisi post certas hebdomadum periodos, mittendus a Deo esset. Nullus igitur illorum est Christus ab Angelo prænuntiatus.

Alio etiam, eoque gravi laborat vitio ea Judæorum opinio, quæ Agrippam juniorem decernit hunc Christum esse, cujus mortem prædixit Angelus, quemque a Romanis trucidatum fuisse autumat, cum Templum secundum exscinderetur. Eum quippe a

Romanis in excidio Jerosolymitano occisum non fuisse, imo Romanorum partes fuisse secutum, & Jerosolymis, tum cum expugnaretur, abfuisse, belloque Judaico annos aliquot fuisse superstitem, testes sunt Joseph lib. 2. de bello Judaico cap. 6. & Cornelius Tacitus lib. 5. historiarum. Et licet id verum esset, ipsi tamen Messiæ characteres quos Daniel expressit convenire non possunt, ut perspectum est. Non enim ille *sanctitas sanctitatum, & justitia sæculorum* merito dici potest. Fatendum itaque Christum, cujus cædem post sexaginta duas hebdomadas futuram prædixit Angelus, non fuisse alium, nisi adorandum nostrum Salvatorem, a suis occidendum, ad quos potissimum servandos, & vivificandos venturus erat. Messiam porro a suis accerbissima, & indignissima morte necatum iri, tam proprie, aperte, distincteque vaticinati sunt, David Psalm. 21. & 68. Isaiasque cap. 53. ut non tanquam Vates, quod futurum erat prædixisse, sed tanquam historici quod gestum fuerat, narasse videantur.

Sed iterum Judæi reponunt in allato vaticinio non prædici adventum Messiæ post illas septuaginta hebdomadas; quia, inquiunt, Daniel tunc non postulabat a Domino Messiæ adventum, sed solum liberationem Judæorum a solutione captivitatis Babylonicæ. Quorsum igitur docet hoc loco Danielem Angelus, certum tempus adventus Messiæ? Quid enim ad vota, & postulata de liberatione populi, & refectione urbis, Templique, hoc de adventu Messiæ pertinebat?

Ad hoc momentum, quod sane conjectura levissima est, quia utcumque explicent prophetiam hanc Judæi, vitare non possunt, quin multa contineat ad libertatem illius populi nihil pertinentia: ad hoc, inquam, momentum trifariam responderi potest. Primo, æquum & par esse, Danielem non tantum temporalem populi libertatem, sed multo magis spiritualem futuram per Messiam desiderasse. Cum enim tum ex visione illius statuæ, quæ Regi Nabuchodonosori in quiete visa fuerat, tum ex ea visione quam ipse primo anno regni Balthassaris habuerat, apertissime cognovisset mysterium Incarnationis, sive filium Dei humana indutum carne, descensurum in terras, & conditurum quoddam regnum amplissimum, & æternum, cui omnia regna mundi subjicienda essent: & in eo regno populum Dei florentissime, ac felicissime regnaturum; ecquis non existimet, Danielem summo exarsisse

fiſſe deſiderio noſcendi certum tempus, quo filius Dei venturus eſſet in mundum, & tot tantaque bona mortalibus allaturus. Itaque Deus in hac viſione, voluit & præſenti Danielis petitioni de liberatione populi, ac de Jeruſalem, Templique reparatione, & prioribus ejus optatis ac poſtulatis de Meſſiæ adventu, ſimul ſatisfacere: erat enim vir deſideriorum ut Angelus ait: *ego veni ut indicarem, quia vir deſideriorum tu es:* hoc eſt, vir amabilis ac deſiderabilis Deo. Tales autem qui ſunt maxime noſſe cupiunt arcana Dei.

Alterum reſponſum: tanta eſt Dei erga homines, præſertim vero ſervos ſuos benignitas, & bonitatis redundantia, ut non modo quæ optant, petuntque ab ipſo, ſed etiam plura, & majora eorum votis ac poſtulatis largiatur. Legimus, Achaz Regi Juda metuenti everſionem regni Davidis, contra quod duo potentes Reges, Iſrael, & Syriæ conjuraverant, Deum per Iſaiam cap. 7. prædixiſſe, non modo ſe regnum illud terrenum Davidis defenſurum, ac ſervaturum; ſed etiam miſſo in terram filio ſuo, & ex puriſſima Virgine nato, totum humanum genus ex Diaboli tyrannide, ac ſervitute peccati erepturum, & ſpirituale Davidis regnum, hoc eſt, Eccleſiam ſuam, per univerſum terrarum orbem propagaturum, & contra omnes humanas, & Diabolicas vires defenſurum. Similiter iſtic, non tantum promittere voluit Deus Danieli relaxationem captivitatis Babylonicæ, & reſtaurationem Juruſalem, ac Templi: ſed præterea, hinc ſumpta occaſione, patefecit certum tempus venturi Meſſiæ, qui teterrimam animorum ſervitutem depelleret, & aditum nobis ad Cœlum, & beatam vitam aperiret.

Tertium reſponſum eſt, conſuetudinem eſſe divinæ Scripturæ, cum de re quapiam agit, quæ alterius rei figura, aut typus eſt, in ejus rei tractatione, multa quæ ad rem illam figuratam ſpectant, immiſcere. David, & Salomon, quia multifariam præfigurarunt Chriſtum, propterea in Pſalmis, & apud Prophetas, cum de illis agitur, interdum nonnulla inferuntur, quæ illis, aut vix, aut nullo modo; Chriſto autem Domino proprie, perfecte, maniſeſteque conveniunt. Idem poſſet dici de terrena illa Jeruſalem, & civitate Sion, quæ ſimilitudinem geſſerunt Eccleſiæ Evangelicæ, vel Triumphantis. Similiter igitur, quoniam Babylonica illa Judæorum captivitas, ejuſque ſolutio imaginem quandam præferebat

bat captivitatis totius humani generis, sub Diabolo, & peccato, & ejus liberationis, quam Christus perfecturus erat: nec non & illi septuaginta anni captivitatis, similitudinem quandam, & convenientiam habebant cum septuaginta annorum hebdomadibus, quibus decursis, Christus in mundum veniens, auctor effectorque salutis, ac felicitatis humani generis futurus erat; sapientissime Deus in hac visione, simul cum liberatione populi, & terrenæ Jerusalem refectione, præfinitum adventus Messiæ tempus conjungere voluit.

Ad quod totum magis illustrandum placet hic Ruperti Abbatis sententiam referre ex eo libro quem scripsit in Danielem, qua affirmat, Danielem divinitus eruditum, intellexisse captivitatem illam Babylonicam, & ejus liberationem, figuram fuisse alterius spiritualis captivitatis, quæ universum genus hominum complectebatur: ideoque more prophetico, sub vocabulis illius captivitatis, & reparationis Jerusalem, præcipue animo intendisse certum tempus, quo captivitas humani generis per Messiam dissolvenda, & Ecclesia Dei esset reparanda. Ruperti verba ita se habent: *si solam litteram spectes, nunquid ea responsa, quæ dedit Angelus Danielis oratio flagitaverat? Ille enim pro solutione captivitatis, & urbis, ac Templi reparatione Deo supplicaverat. Itaque, si solam litteram spectes, nihil invenies præter illam septuaginta annorum Babylonicam captivitatem: nihil præter civitatis, & Templi manufacti cineres, quod deploret, aut quod recuperari desideret. Verum si ita erat, si hoc tantum in votis habebat, nunquid pro ea re opportunam consolationem accepit? Nonne potius contraria votis audivit? Non enim dictum est illi, ædificabitur Jerusalem, & Templum, atque omnis cæremoniarum cultus renovabitur, sed quod bis valde contrarium est, occidetur Christus, non erit ejus populus, qui eum negaturus est, civitatem, & Sanctuarium dissipabit populus cum Duce venturo, & finis ejus vastitas, & post finem belli statuta desolatio: & deficiet hostia, & sacrificium, & in Templo erit abominatio desolationis, & usque ad consummationem, & finem perseverabit desolatio. Igitur cum dicit, ego Daniel intellexi in libris numerum annorum, quem prædixit Jeremias, ut complerentur desolationis Jerusalem septuaginta anni; vigilanti lectori, illud se spiritu prophetico intellexisse insinuat, quod hodie revelata facie videt Christi Ecclesia: scilicet captivitatem illam unius populi Judaici, fuisse*

fuisse imaginem alterius magnæ captivitatis, quæ uno peccante Adam, universo generi humano accidit: & illos septuaginta captivitatis annos, tempus omne significasse, quo populus Dei peregrinatur in hoc sæculo. Quid enim magnum erat intellexisse, quod palam omnibus verba sonabant Jeremiæ Prophetæ? Ergo cum orat hoc loco Daniel pro captivitate populi, & pro refectione Jerusalem, ac Templi, sub istis vocibus res majores intendit; & sic illam captivitatem solvi optat, ut pro majori sollicitus sit, leniter laturus illud majus Templi, & civitatis excidium, defectum quoque hostiæ, & sacrificii, perpetuamque desolationem Templi abominabilis, dummodo fiat quod erat necessarium, scilicet, ut consummetur prævaricatio, & finem accipiat peccatum, & deleatur iniquitas, & adducatur justitia sempiterna, & impleatur visio, & ungatur Sanctus Sanctorum. Hactenus pie Rupertus, quæ verba ejus ad locum illustrandum attuli, non quod allatæ antea rationes non satis esse possint.

Sunt nonnulli, qui ista prophetiæ verba, *ad ungendam sanctitatem sanctitatum*, referunt non ad Christum, sed ad Arcam testamenti, Altaria, aliaque Sanctuarii vasa, quæ per Messiam debent recuperari, ab eoque ungi.

Verum perspicuum est, Sacrum Vatem loqui de sanctitate longe pleniore quam esset Arca testamenti, & Vasa Sanctuarii. Deinde, hæc expositio manifeste est contra Sacræ Scripturæ sententiam, quæ apud Jeremiam, dum de Judæorum redemptione loquitur, ita cap. 3. v. 16. ait: בימים ההמה נאם יהוה לא יאמרו עוד ארון ברית יהוה ולא יעלה על לב ולא יזכרו בו ולא יפקדו ולא יעשה עוד *in diebus illis, dixit Dominus, non dicent ultra: Arca fœderis Domini, nec ascendet super cor, nec illius recordabuntur, nec visitabunt, nec fiet ultra:* quia nimirum, ut dissertatione sexta demonstrabimus, omnes legis Mosaicæ cæremoniæ post Messiæ passionem, omnino cessaturæ erant. Ex quo clarum est, verba illa, *ad ungendam sanctitatem sanctitatum*, neque de Arca, neque de aliis Sanctuarii Vasis, intelligi posse, cum expresse dicatur in vaticinio, *nec fiet ultra.*

Sunt alii etiam, qui reponunt, dictionem יכרת *iccareth*, quæ istic ponitur, originem habere a verbo כרת *carath*, quod non *occidere*, sed proprie *exscindere*, sive *abscindere* denotat: ideo non legi volunt, *occidetur Messias*; sed legi malunt, *abscindetur*, sive *excidetur Messias*.

Quam-

Quamvis porro verbum יכרת *iccaretb*, primario *abſcindere*, ſive *exſcindere* ſignificet, frequentius tamen divinis in Scripturis pro *occidere* ponitur, ut Geneſeos cap.9. v.11. והקמותי את בריתי אתכם ולא יכרת כל בשר עוד ממי המבול *& ſtatui pactum meum vobiſcum, & non iccaretb*, hoc eſt, *non occidetur omnis caro ultra ab aquis diluvii*. Et Ezechielis cap. 21. v. 3. והכרתי ממך צדיק ורשע *& occidam ex te juſtum, & impium*. Similiter in libro tertio Regum cap. 18. v. 4. ita legitur: ויהי בהכרית איזבל את נביאי יהוה *& fuit cum occideret Izebel Prophetas Domini*. Quod autem hoc ſenſu verbum hoc ibi ſumatur, per id quod continuo ſubjicitur perſpectum eſt, ſequitur enim ſic v. 13. הלא הגד לאדני את אשר עשיתי בהרג איזבל את נביאי יהוה *nunquid* (ait Abdias Eliæ) *non eſt annuntiatum Domino meo id quod feci, cum occideret Izebel Prophetas Domini*. Ex quibus liquet, verbum יכרת *iccaretb*, pro eo quod eſt, *occidetur*, hoc loco accipi.

Jam vero tempus, intra quod venturus promiſſus eſt Meſſias ille נגיד *naghid*, ideſt, Princeps, ſive Dux, Adorandi noſtri Salvatoris ætate lapſum eſſe, quod poſtremum poſitæ aſſertionis caput eſt, evincitur primo, ex adjunctis ſalutaris adventus circumſtantiis: ſecundo, diſtincta præſcriptarum hebdomadum computatione. Adjunctæ quippe circumſtantiæ rem in orbis luce ponunt. Is etenim prædictus eſt, cujus adventu ceſſabunt viſiones, & Prophetæ: hoc porro Jeſu Nazareni noſtri tempore completum cernimus; cum ab eo tempore nulli in hac Judæorum fæce, & colluvie Prophetæ exiſtant; nulla eos Dei aſpiratio proſequatur; nulliſque miraculis adverſum ſe favorem agnoſcant. Is rurſus prænuntiatus eſt, quo interfecto, urbs Jeruſalem, & Templum diruendum erat: at utrumque dirutum eſſe ſub Veſpaſiano, & Tito, Judæi ipſi norunt, ac dolent. Is præterea prædictus eſt, in cujus adventu deficiet ſacrificium, & oblatio: at utrumque defeciſſe Judæi ſatis experiuntur, qui nullas jam oblationes, nulla ſacrificia offerunt: imo deſtructo Tabernaculo, & Jeroſolymorum Templo ſolo æquato, nullum ſacrificium offerre nunc poſſunt. Is denique prænuntiatus eſt, quo tandem morte ſublato, futura erat abominatio deſolationis ad conſummationem, & finem uſque duratura: at & id Judæi vel inviti experiuntur. Sedibus enim ſuis exterminati, ac toto orbe diſperſi, contempti, ludibriis omnium, & cachinnis objecti, ſervilem vitam agunt, ſine patria, ſine Principe,

cipe, sine Sacerdote, sine Sacrificio, sine Templo: ut non obscure in iis adimpletum cernamus, quod Jesu nostro ad indignissimam necem damnato, sacrilego quidem, sed tamen veridico ore protulerunt: *Sanguis ejus super nos, & super filios nostros.*

Hoc idem definitum tempus lapsum esse, æque evincit septuaginta hebdomadum computatio, intra quas Messias promissus nasciturus erat, eaque omnia accidere debebant, quæ Gabriel Angelus Danieli viro desideriorum prædixit. Quod ut perspicuum sit, adnimadvertere necesse est, septuaginta hebdomades annorum, non dierum istic intelligi: septuaginta enim annorum hebdomades, annos nonaginta & quadringentos continent: septuaginta vero hebdomades dierum nonaginta dumtaxat, & quadringentos dies, hoc est, menses fere sexdecim: quo tamen brevi temporis intervallo, nihil contigit eorum, quæ Gabriel Angelus Danieli intra septuaginta hebdomades eventura prænuntiavit. Enim vero in Sacris Scripturis duplex tantum invenitur hebdomadis acceptio, nimirum dierum, & annorum. Septem hebdomades dierum a Paschate ad Pentecosten numerantur Levitici cap.25.v.15. & 16. Tres hebdomades dierum se jejunasse Daniel memorat anno tertio Cyri Regis Persarum, cap. 10. v. 2. & 3. Septem hebdomades annorum numerari præcipit Deus Levitici cap. 25. v. 8. & annum quinquagesimum, qui jubilæus est, celebrari. Cum itaque in hoc Danielis Oraculo dierum hebdomades intelligi non possint, ut & ipsi Judæi sponte fatentur, superest ut annorum hebdomades intelligantur.

At circa initium harum hebdomadum variæ fuerunt ac pugnantes Patrum, aliorumque Auctorum Ecclesiasticorum, & Hebræorum sententiæ. Alii autumant illarum initium petendum esse ab anno primo Darii Medi Persarum Regis, quo Daniel orationem hanc fudit ad Deum, quæ nono ipsius capite habetur. Alii exordium hebdomadum petunt ab anno secundo Artaxersis Longimani: alii ab anno quarto Sedeciæ Regis: alii demum hebdomadarum supputationem incipiendam esse existimant ab anno primo Cyri, quo soluta est Babylonica Judæorum captivitas, & facultas instaurandi Templi Judæis concessa est.

Undecunque tamen septuaginta hebdomadum exordium repetamus, eas Jesu nostri sæculo lapsas esse, necesse est: cum nonnisi annos quadringentos nonaginta conficiant; quos, quidquid sit, sal-

tem in excidio Jerosolymitano evolutos inveniemus. Sed etsi ea esset Hebræorum obstinatio, ut eas hebdomades necdum Adorandi nostri Salvatoris sæculo effluxisse dicerent: adeone stolidi erunt, ut afferant, eas nec nostro quidem tempore evolutas esse, quo annos bis mille ducentos octoginta ab eo Danielis Oraculo numeramus? Quid ergo in aliud tempus suspiria trahunt, suumque adhuc Messiam expectant?

Quid modo Judæi nostri temporis, ut laqueum istum effugiant? Nonnulli reponunt, hebdomadas illas non esse dierum, nec annorum, sed decenniorum, vel jubilæorum, vel centum annorum seu sæculorum. Namque septuaginta hebdomades decenniorum annos quatermille nongentos complectuntur: septuaginta vero jubilæorum hebdomades efficiunt viginti quatuor millia annorum cum quingentis: septuaginta denique hebdomades sæculorum quadraginta novem annorum millia.

Verum absurdum plane ac ridiculum videtur, hebdomades illas sic intelligi posse; idque gratis, & absque fundamento comminiscuntur. Nam urbem, & Templum excisum iri post illas septuaginta hebdomades: sacrificia vero in medio ultimæ hebdomadis abolitum iri prædicit Daniel: atqui multo ante hæc evenerunt, quam forent lapsæ hebdomades decem, vel quinquaginta, vel centum annorum undecunque tandem numerandi ducatur initium: non ergo de decenniorum, jubilæorum, aut sæculorum hebdomadibus intelligendum est Danielis vaticinium. Præterea, quonam divinarum litterarum, vel sui etiam Talmudis testimonio, Judæi, suas illas decenniorum, jubilæorum, aut sæculorum hebdomades approbabunt? Nullas enim, ut observavimus, nisi dierum, & annorum hebdomades Scriptura Sacra memorat. Puduit hujus figmenti Rabbinos plerosque, & repudiatis his hebdomadibus, cum hebdomades dierum nihilo magis locum isthic haberent, in hebdomadibus annorum, quas idoneo laudato Levitici cap. 25. loco niti sciebant, quadringentorum scilicet, & nonaginta annorum spatio acquieverunt. Sic Saadias Gaon, & Aben-Ezra in Danielem; sic auctor libri, qui domus Israel inscribitur; sic & Seder Olam.


Quod opponunt nihilominus, difficultatem non levem habet. Ajunt quippe, ventura tempora hoc Gabrielis vaticinio promitti, quibus futurum est, ut finem accipiat peccatum: sed quomodo

do Jesus Nazarenus finem imposuit peccato? An ita radicitus ipsum excidit, ut amplius reviviscere, aut renasci non possit? Nonne post Jesu Nazareni adventum viguit peccatum, hodieque nimio plusquam vellemus in mundo viget? An qui Christi gratiam semel accepit, eam perdere nunquam potest, nec in peccatum relabi? Minime vero. Non itaque nostra ista Messiæ tempora eo vaticinio præsignata sunt.

Sed verum tamen est quod dixit Gabriel, finem peccato Messiam positurum. Multis enim de causis verissime dici potest peccatum a Messia esse finitum. Principio, Christus pro debito peccati humani, cumulate solvit Deo: quæ solutio, adeo perfecta, & omnibus numeris expleta fuit, ut ea dicatur a Theologis satisfactio, vel solutio secundum omnem rigorem justitiæ. Ergo quia Christus usque ad minimum quadrantem pro debito peccati humani persolvit Deo, ideo dicitur finem imposuisse peccato. Postea, sustulit Christus pœnalem effectum peccati primi hominis, quo universum genus hominum, etiam justi, sanctique tenebatur obstrictum: is autem erat interclusio aditus ad Cœlum, & detentio justorum in inferno. Deinde, solet in Scriptura scelus idololatriæ simpliciter nominari peccatum: quoniam igitur statim atque mundo affulsit unius & veri Dei fides, Evangelica prædicatione per totum orbem publicata, propemodum ex omni terrarum orbe discussæ sunt tenebræ idololatriæ, & vanissimus multorum Deorum cultus evanuit: ideo non falso dixit Gabriel, per Christum finem accepturum peccatum. Præterea, Christus Diabolum superavit, tamque efficacem gratiam, & Sacramenta nobis contulit, ut si velimus, facillime omne peccatum superare possimus, uti viri sancti, omnesque veri Christiani illud superant. Neque enim probi medici partes sunt, ut nemo eorum intereat, qui voluerint interire: sed ut nemo pereat, qui salutaria illius consilia amplecti, & servare voluerit: ideo egregie dixit Gabriel, per Christum finem accepturum peccatum.

Hanc dissertationem opportune claudet sincera confessio R. Samuelis in epistola ad R. Isaacum, quam in Dionysii Carthusiani commentariis legere est. *Amplius videtur etiam, Domine mi, Danielis prophetiam, quæ scribitur nono capite, completam esse, ubi sic dicit: post sexaginta duas hebdomadas occidetur Christus, & veniet populus cum Duce venturo, destruetque civitatem, & domum,*

& erit consummata destructio desolationis perpetuæ. Et non est, Domine mi, dubium, quin destructio perpetuæ desolationis sit hæc captivitas, in qua jam sumus. Nam jam sunt mille anni, & aperte dicit Dominus per Prophetam, quod erit desolatio perpetua propter occisionem Christi, sicut est desolatio nostra post occisionem Christi. Non enim comminatus est Deus desolationem perpetuam, nisi post occisionem Christi. Et si voluerimus dicere, quod ante occisionem Christi fuerimus in desolatione, respondent nobis Christiani, quod ante illam mortem non fuit desolatio nisi septuaginta annis; & post hoc fuimus reducti in terram promissionis, & fuimus apud Deum in gratia, & honore. Certe, Domine mi, non video evasionem. De facto enim probatur nobis, quod postquam a reædificatione Templi completæ fuerunt septuaginta hebdomades annorum, tunc fuit Jesus occisus a patribus nostris; & postea venit Dux, scilicet Titus, & populus, scilicet Romani, & fecerunt nobis secundum prophetiam istam. Hodie sunt mille anni, & nihilominus in ira Dei sumus; & tamen nos in ipso speramus, expectantes adhuc venturum Messiam, & reversuros nos in terram promissionis; & civitatem, atque Templum instauraturos, futurosque in gratia, & honore apud Deum: nec desolationem hanc fore perpetuam, sed temporalem. Heu, mi Domine, non est ista excusatio, & evasio consona; & vana videtur talis expectatio. Hactenus R. Samuel. Ex cujus verbis manifeste colligitur, quod cum Judæi post mortem Christi, hoc est, a mille septingentis, & amplius annis, premantur illis omnibus calamitatibus, & miseriis, quas in pœnam necandi ab ipsis veri Messiæ passuros fore, prænuntiarunt Sacri Vates, colligitur, inquam, Messiam jam venisse, nullumque alium præter Jesum Nazarenum fuisse.



DIS-



DISSERTATIO TERTIA.



Essiam jampridem venisse, non obscure demum colligitur ex vaticinio Aggæi Prophetæ, quod habetur cap. 2. v. 7. & seq.

Tertium tandem, & ultimum testimonium, in quo magis in particulari determinatur, ac definitur tempus adventus Messiæ, undeque concluditur evidenter illud jam præteriisse, legitur, ut modo dixi Aggæi cap. 2. v. 7. & seq. כי כה אמר יהוה צבאות עוד אחת מעט היא ואני מרעיש את השמים ואת הארץ ואת הים ואת החרבה : והרעשתי את כל הגוים ובאו חמדת כל הגוים ומלאתי את הבית הזה כבוד אמר יהוה צבאות : לי הכסף ולי הזהב נאם יהוה צבאות : גדול יהיה כבוד הבית הזה האחרון מן הראשון אמר יהוה צבאות ובמקום הזה אתן שלום נאם יהוה צבאות *quia sic dixit Dominus exercituum: adhuc unum modicum est, & ego commoturus sum cœlum, & terram, & mare, & aridam. Et commovebo omnes Gentes, & venient* (Propheta quippe rationem potius sensus habens, quam vocabuli, plurale verbum dedit nomini singulari, ut sæpe faciunt Hebræi, cum simile quippiam occurrit, quod notandum maxime) *desiderium omnium Gentium, & implebo domum hanc gloria, dixit Dominus exercituum. Meum est argentum, & meum est aurum, dixit Dominus exercituum. Major erit gloria hujus novissimæ, quam primæ, dixit Dominus exercituum: & in loco isto dabo pacem, dixit Dominus exercituum.* Neque vero diffiteri possunt Judæi, quin hoc in oraculo de Messia sermo sit. In quem enim alium cadere possent notæ, ac characteres quibus depingitur? Quis enim præter ipsum expetitur a Judæis,

&

& desideratur a cunctis Gentibus? Quis adventu suo commoturus est cœlum, & terram, & mare, & aridam, omnesque Gentes, nisi Messias? Quis secundum Templum, quamvis structuræ tam vilis, ut quasi non esset in oculis Judæorum, qui primum viderant (Aggæi cap. 2. v. 4.) longe majori gloria impleturus erat, nisi Messias? Quis pacis auctor præter ipsum futurus erat? Atqui Templum illud, quod Aggæus mirifice commendabat, a Tito est funditus eversum: igitur Messiam ante illud excidium venisse necesse est. Indicent autem Judæi alium præter Dominum Jesum Christum, in quem characteres ab Aggæo delineati cadant. Is quippe adventu suo cœlum commovit, cum missus est Gabriel Angelus; facta est multitudo cœlestis exercitus in ejus nativitate; Stella Magos ad præsepe adduxit; cum solem nativo suo lumine moriens spoliavit. Horrendo terræmotu, qui contigit in passione ipsius, horrendaque ubique martyrum strage, ac novæ legis institutione, omniumque Gentium in unius Ecclesiæ fidem consociatione, terram, populosque commovit universos. Mare, & aridam commovit, partim per generale terræmotum tempore passionis suæ; nam hæc etiam concuti necesse fuit: partim etiam per ejus imperium, quo & sedatæ procellæ, undæ pedibus calcatæ. Pacem dedit ipse pax nostra, non quomodo mundus dat, hoc est, non quæ foveat vitia, sed quæ extinguat; non quæ cupiditates contra rationem armet, sed quæ eas comprimat & subjiciat; quam Angeli ipso nascente prædicaverunt dicentes: *gloria in excelsis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis*. Is demum divina prorsus majestate, ac gloria Templum a Zorobabele constructum, antequam a Romanis everteretur, præsentia sua, miraculis, adhortamentis, orationibus illustravit, & replevit.

Vis porro argumenti magis crescit, si in nostri temporis Hebræos sermonem vertamus. Enim vero Aggæus Messiam proxime, brevique oriturum prædicebat; ac velut staret in januis: *adhuc unum modicum est*, inquit, *& ego commoturus sum cælum, & terram, & mare, & aridam. Et commovebo omnes Gentes, & venient desiderium omnium Gentium*. Vaticinabatur ille porro annis ante Adorandum nostrum Salvatorem circiter quingentis: quibus si addamus annos 1748, quos impræsentiarum a Jesu nostro numeramus, recurrent plus bis mille ducentis, quo ex tempore Divinus ille Vates Messiam brevi venturum spoponderat. Et tamen,

si

ſi Hebræis præſtamus fidem, necdum venit. Quis, amabo, cæcam obſtinationem non cernat, ploretque?

Quid modo Judæi, ut hujuſce argumenti vim elidant? Nonnulli reponunt, Aggæum, Meſſiam intra modicum tempus venturum dixiſſe, quanquam ne quidem hac noſtra ætate venerit poſt annos bis mille ducentos ſexaginta & octo; quia apud Deum immenſa temporum ſpatia inſtar momenti reputantur, juxta illud Pſalm. 89. v. 4. כי אלף שנים בעיניך כיום אתמול כי יעבר *quoniam mille anni in oculis tuis, ſicut dies heſterna, quæ præteriit.*

Verum hoc, aliaque ſimilia non obſunt, & vim noſtri argumenti non enervant, quia non fundatur in illa particula *modicum*, quomodocumque, hoc eſt, vel comparate ad æternitatem, vel ad Deum; ſed in illa conſiderata circumſtantia temporis, & occaſione qua enuntiata fuit ab Aggæo hæc prophetia: ſic autem certum eſt ibi particulam illam *modicum* ſumi non poſſe, pro tempore in ſe longiſſimo, reſpectiveque tantum modico, ſed ſignificare abſolute Meſſiæ adventum ut jam proxime inſtantem. Licet porro immenſa temporum ſpatia, tanquam dies heſterna, quæ præteriit, inſtarque momenti Deo reputentur, cui nil effluit, ſed omnia ex æquo præſentia ſunt: verumtamen ubi Deus verba facit cum hominibus, ejuſque rei de qua loquitur certas ad aliquid denotandum temporum periodos decernit, tales illas accipere opus eſt, quales hominibus periodi fluunt, non quales Deo. Aliter nihil ex Dei verbo certi colligeremus: ſicque temporum notæ Sacris in Scripturis crebro expreſſæ nihil unquam certi denotarent: ſiquidem nulla apud Deum temporum intervalla, atque diſcrimina reperire licet. In hac autem Aggæi prophetia refertur tempus ad expectationem populi, & ſic mille anni non poſſunt dici modicum tempus, ſed certe magnum. Agebat enim ibi Sacer Vates de conſolandis, ac ſublevandis Judæis, qui in ſecundo Templo exædificando laborabant, erant enim ibi triſtes, eo quod Templum illud humilius videretur quam primum: ut igitur eos alacres, & promptos ad opus redderet, bonum nuntium adfert Propheta de Meſſiæ adventu, quod non multum diſtaret, qui præſentia ſua Templum illud nobilitaturus eſſet, & gloria repleturus; ad hoc enim propoſitum ſermonem ibi interpoſuit de Meſſiæ adventu. Et hoc eſt, quod maxime urget in hac prophetia: prænuntiatur enim in illa Meſſiam ingreſſurum

Tem-

Templum illud, idque præſentia ſua, majori gloria nobilitaturum, quam primum Templum unquam nobilitatum eſt : conſtat ergo, & Meſſiam veniſſe, & Templum illud ingreſſum eſſe : alias prophetia hæc non poſſet impleri, cum a tam longo tempore illud Templum funditus everſum ſit, nullumque illius maneat veſtigium.

Reponunt alii, majorem illam ſecundi Templi gloriam referri vel ad illius diuturnitatem ; quia ſecundum iſtud Templum annis quadringentis & viginti perduravit : primum vero annis circiter quadringentis & decem. Vel ad majorem ædificii pompam, amplitudinem, pulchritudinem, & ſanctitatem.

Perperam tamen, ac futiliter : ſi enim Templum ſecundum, decem, ut inquiunt, duntaxat annis primum exceſiſſet, ſane abſurdum videretur, Sacrum Vatem de tam parvo tempore mentionem feciſſe, cum præſertim verba quibus uſus eſt, magnam preſeſerre excellentiam videantur. Deinde, etſi pluribus quam decem annis perduraſſet, cum tamen pluries violatum fuerit, illa major temporis diuturnitas non illi ad honorem, excellentiam, & gloriam, ſed magis ad opprobrium acceſiſſet. Ecquis enim neſciat, quam fæde prophanaverit Antiochus, ac deinde Pompejus: quam ſacrilege ipſum ſpoliaverit Cajus : quam ferociter demum in idem exarſerint Veſpaſianus, & Titus, illudque ſolo æquarint? Quapropter temporis illa diuturnitas, qua ſecundum Templum dicitur exceſiſſe primum, non ei in gloriam, ſed potius in dedecus attribuenda eſſet.

Nec etiam dici poteſt, quod illa gloriæ præſtantia, qua ſecundum Dei Templum primum excedere debebat, ipſius ædificii pompa, amplitudo, pulchritudo fuerit : cum inter Templum primum, & ſecundum, nulla potuerit eſſe comparatio. Nam de primo quidem in 2. libro Paralipomenon cap. 3. v. 5. & ſeq. ita legitur : ואת הבית הגדול חפה עצי ברושים ויחפהו זהב טוב ויעל עליו תמרים ושרשרות : ויצף את הבית אבן יקרה לתפארת והזהב זהב פרוים : ויחף את הבית הקרות הספים וקירותיו ודלתותיו זהב ופתח כרובים על הקירות *& domum magnam texit lignis abiegnis, & texit eam auro bono: & aſcendere fecit ſuper eam palmas, & catenas. Et texit domum lapide pretioſo ad decorem: & aurum, aurum puriſſimum. Texitque domum, trabes, poſtes, & parietes ejus, & oſtia ejus auro: & ſculpſit cherubim in parietibus*. Et lib. 3. Regum

gum cap. 6. v. 22. de eodem Teinplo ſic dicitnr : ואת כל הבית צפה זהב עד תם כל הבית וכל המזבח אשר לדביר צפה זהב *& totam domum operuit auro, donec perficeretur tota domus : & totum altare oraculi texit auro*. Et v. 30. ואת קרקע הבית צפה זהב לפנימה ולחיצון *& pavimentum domus texit auro, intus, & foris*. Ex quibus perſpectum eſt, quanta fuerit primi Templi gloria. Quare ut in primo Eſdræ lib. cap. 3. v. 12. legitur, expleto ſecundi Templi opere, plurimi Sacerdotum, Levitarum, atque aliorum, qui prioris Templi pompam, majeſtatem, & magnificentiam viderant, cæteris exultantibus, lacrymabantur, quod Templum illud ſecundum primi comparatione vilius videretur. Vaſa pariter fere omnia, quæ in priori Templo aurea fuerant, in ſecundo ænea erant, ut Talmudiſtæ referunt.

Nec etiam dici poteſt, quod illa gloriæ præſtantia, ipſius loci ſanctitas fuerit: cum ut ajunt Talmudiſtæ, inter cætera ſanctitatis prioris Templi indicia, quæ in ſecundo defuerunt, nec ignis qui in primo Templo de Cœlo deſcendens, holocauſta comburebat, in ſecundo unquam deſcendere viſus ſit : nec gloria Dei, quæ in priori Templo in Sanctis Sanctorum inter Cherubim apparere ſolebat, in ſecundo unquam apparuerit: nec Spiritus Sanctus, qui in primo Templo ad loquendum cum Prophetis ſæpiſſime veniebat, in ſecundo venire ſolitus fuerit. Quæ omnia per Talmud optime probantur. Quinque enim res defuerunt in poſtremo Templo, quæ in primo fuerunt, ut ipſimet Talmudici Doctores, tradunt in codicem Sanhedrin Jeroſolymitanum cap. *ellu ben baggolin*, ideſt, iſti ſunt captivi : in *Midraſch ſir haſſirim*, hoc eſt, in expoſitione Cantici Canticorum ſuper illud 8. cap. dictum, *ſoror nobis parva, & ubera non ſunt ei :* & denique in codicem Joma, ideſt, de die expiationum, cap. primo: nimirum Arca cum propitiatorio & Cherubim, ignis cœleſtis, præſentia majeſtatis divinæ, Spiritus Sanctus, Urim, & Thummim. Cum igitur Aggæus dixerit, gloriam Templi Dei noviſſimi, majorem quam primi futuram fuiſſe, Templumque primum tanta gloriæ copia fulſerit, ut nec in una quidem re Templum ſecundum illi comparari potuiſſet, neceſſario fatendum eſt, majorem hanc gloriam, quam Templum Dei poſtremum præ primo habiturum erat, aliam non fuiſſe, quam Meſſiæ præſentia, qua ipſum Templum noviſſimum pluſquam primum honorari debebat.

Nam si præstantia hæc gloriæ, neque de temporis diuturnitate, neque de ædificii pompa, amplitudine, pulchritudine, neque de divitiis, neque de sanctitate, ut ex dictis perspectum est, intelligi potest, de Messiæ præsentia intelligatur necesse est: cum nulla alia assignari possit. Vertant igitur sese in omne latus Judæi, horum alterum admittere adiguntur; aut Messiam stante adhuc Templo a Zorobabele post solutam captivitatem Babylonicam sub Cyro Rege Persarum instaurato advenisse, illudque præsentia sua illustrasse, consecrasse; aut nullam divino huic Aggæi oraculo veritatem inesse: cum autem ultimum absurdum omnino sit, primum necessario concedendum est.

His robur addit, quod legimus apud Malachiam ultimum Prophetarum, qui Judæos non aliter quam Aggæus, solari aggressus est, futurum promittens, ut ad secundum Templum proxime, brevique Messias adiret: qui nomen ei suo adventu, dignitatem, & gloriam conciliaret: הנני שלח מלאכי ופנה דרך לפני ופתאם יבוא אל היכלו הארון אשר אתם מבקשים ומלאך הברית אשר אתם חפצים הנה בא אמר יהוה צבאות *ecce ego*, inquit Deus Malachiæ cap. 3. v. 1., *mitto Angelum meum, & præparabit viam ante faciem meam, & statim veniet ad Templum suum Dominator, quem vos quæritis, & Angelus fœderis, quem vos vultis: ecce venit, dicit Dominus exercituum*. Angelus fœderis, sive testamenti, Christus illic nuncupatur, quod a Deo, sic tanquam nuntius, & magni consilii Angelus, missus sit ad sanciendum cum hominibus fœdus novum, fœdus pacis, pactum perpetuum: unde de eo ait Dominus apud Isaiam cap. 42. v. 6. ואתנך לברית עם לאור גוים *& dabo te in fœdus populi, & in lucem Gentium*. Et iterum apud Jeremiam cap. 31. v. 31. הנה ימים באים נאם יהוה וכרתי את בית ישראל ואת בית יהודה ברית חדשה *ecce dies veniunt, dixit Dominus, & feriam cum domo Israel, & cum domo Juda fœdus novum*. Et rursus apud Ezechielem cap. 37. v. 26. וכרתי להם ברית שלום ברית עולם יהיה אותם *& percutiam cum eis fœdus pacis, pactum perpetuum erit eis*. Ergo istic prædictum Messiam R. Moses Maimonis filius ultro agnovit in *bilchot melachim*, hoc est, in sententiis de Regibus, & alibi quoque: agnovit & R. David Kimchi. Nec Messiam tantummodo, sed & ejus præcursorem hic agnovit Saadias Gaon in libro fidei. Quod & his vetustiores Hebræos sensisse tradit Hieronymus in Malachiam cap. 3., præcur-

sorem

forem illum Angelum Eliam, Dominatorem vero Messiam fore existimantes, quem tamen, ut ibidem ait ipse Hieronymus, dicunt ultimo tempore esse venturum. Sed hunc errorem B. Pater vere, atque acriter confutat. Ad secundum itaque Templum a Zorobabele restitutum, & instauratum Messias venturus erat: atque adeo ante Vespasiani, ac Titi imperium, a quibus demum eversum est Templum illud, Messias a Sacris Vatibus prænuntiatus certissime natus est.

Quanquam quid nos tantopere necesse est in eo laborare, ut jam Messiam venisse persuadeamus obstinatis Judæis? Hoc enim ultro confitentur illorum primores, & magistri in Talmudicis Digestis, quibus secundum Scripturas Sacras plurimum fidei, auctoritatisque tribuunt. Non enim sic obbrutuerunt, ut non manifestissimis litterarum Sacrarum convicti testimoniis, agnoverint intervallum illud, quod mittendo Messiæ præfinitum est, & eo amplius excessisse. Legimus enim in tractatu Sanhedrin, capite undecimo, Scholam, seu Academiam, vel Sectam Eliæ, non Prophetæ hujus celebris, sed alterius Hebræi Doctoris inter suos præstantissimi; Scholam, inquam, Eliæ definivisse, *mundum sex mille annos duraturum, nempe per duos mille annos mundum fore* תהו *inanem, & vacuum, hoc est, absque lege divina: per duos mille annos* תורה *sub lege: reliquos vero duos mille fore* ימי משיח *dies Messiæ:* atqui quarto circiter millenneario exeunte, Adorandus noster Salvator, qui legis clausula est, in hunc mundum venit. Itaque ex eorum doctrina, sequitur, jamdudum tempus ortui Messiæ præstitum a Prophetis impletum fuisse. Quod vero reipsa jam extiterit, exortusque sit, majores suos affirmasse testis est R. Salomon Jarchi: atque illo ipso die natum esse, quo Jerosolyma ultimum desolata est. Sed ubi nam sit, ac tam longas moras trahat incertum esse. Sunt qui inter horti Eden delicias ævum agitare volunt cum Elia Propheta, a quo ungendus sit olim lætitiæ oleo, dum ad muneris sui administrationem foras prodibit. Quidam arbitrantur, jacere in Paradiso, mulieris capillo alligatum, & huc Salomonis verba in Cantico Canticorum cap. 7. v. 5. detorquent: *caput tuum super te veluti Carmelus, & coma capitis tui sicut purpura: Rex ligatus est in canalibus. Rex*, nempe *Messias, in canalibus*, nempe in Paradiso. Hanc veterum Rabbinorum expositionem hoc quoque loco respicit R. Salomon. In Tal-

 mud

mud tractatu Sanhedrin cap. 11. pag. 98. dicitur *sedere ad portam urbis Romæ inter ægros, & leprosos*, ex illo scilicet Isaiæ loco cap. 53. v. 3. ubi *despectissimus, & novissimus virorum*, imo *vir dolorum, & infirmitatum appellatur*: tanta est recutitorum illorum insania, & impunitas mentiendi. Alii alia mendacia, aliasque fabulas comminiscuntur.

Quæ hisce in tribus dissertationibus diximus gravia sunt; sed addam, quæ Judæis multo certius jugulum petant. Cum enim de Messia, consentientibus illorum Magistris, & Doctoribus, Sacri Vates prædixerint, ut dissertatione quinta demonstrabimus, postquam advenerit ille, Gentes, & populos, idolis suis relictis, & abjectis, eundem, quem Hebræi adorabant, confessuros, & veneraturos Deum; consequens est, tum cum reipsa perfectum illud est, ac Gentes, idololatria repudiata, ad unius se Dei profitendam religionem; Dei, inquam, illius, quem Abrahamus, Moses, David, ac Prophetæ omnes, & Patriarchæ coluerunt, aggregaverint; jam advenisse Messiam. Atqui jampridem nationes omnes, quæ, cum ista prædicebantur, erant cognitæ, & in plurimorum, eorumdemque fœdissimorum interdum numinum obsequium præcipiti ferebantur amentia, ea contemnunt, atque proculcant; proque iis Deum adorant Abrahami, Isaaci, & Jacobi; & promissum toties, tandemque missum ab illo Messiam agnoscunt: ac tanto mentis ardore pristinam superstitionem detestati, unum illum veteris, ac novæ, quam illa prænuntiabat legis auctorem Deum venerantur, ut nulla vis cruciatuum, ac tormentorum; nullæ præmiorum illecebræ, invictam illorum constantiam vel frangere, vel emollire ac labefactare potuerint. Quid igitur superest aliud, quam ut illum jam venisse fateamur, cui tam incredibilis ac stupenda Gentium mutatio, tanquam auctori, divinitus est attributa? Nam & Judæi hodieque Messiæ, quem frustra tot jam expectant sæculis, decus illud assignant, *ut per illum Gentes per pœnitentiam ad veram legem convertantur*, ut refert R. Moses in tractatu de Regibus cap. 12. Quare cum veram legem, hoc est, veri Israelitarum Dei fidem, ac religionem amplexæ sint nationes, dubitandum non est, quin promissus ille Messias ante venerit, quam illius effecta ista cernerentur.

DIS-



DISSERTATIO QUARTA.



ADducuntur aliquæ rationes, cur Judæi tam apertis Prophetarum teſtimoniis de prædefinito ſalutaris Meſſiæ adventus tempore non credant.

Cum omnia Prophetarum oracula de vero Meſſia, tam proprie, tanque aperte, & explicate in Adorando noſtro Salvatore fuerint adimpleta, ut non tam futurarum rerum prædictiones, quam præteritarum narrationes eſſe videantur, ut ex hactenus dictis perſpicuum eſt, perſpicuumque erit etiam ex dicendis: priuſquam de variis prænuntiati Meſſiæ notis, officiis, dotibus, & characteribus commentationem aggrediamur, operæ pretium duxi aliquas adducere rationes, cur miſeri Judæi tam manifeſtam, teſtatamque oraculis Prophetarum, atque ſuorum malorum experientia comprobatam, de Meſſiæ adventu, & morte veritatem amplecti detrectent. Inter quas primum locum tenet cæcitas, qua propter necem Meſſiæ a Deo puniti ſunt. Duplici enim pœnarum genere multati ſunt: unum fuit corporale, & hoc triplex, amiſſio regni ac dignitatis, perpetua urbis ac Templi deſolatio, & ſempiternum exilium, innumeris malis, miſeriiſque refertum. Alterum pœnæ genus fuit ſpirituale, tanto ſane gravius, & exitialius priore, quanto, & potioribus bonis eos ſpoliavit, & acerbioribus malis affecit. Et hoc duplex: excæcatio mentis, & obduratio cordis, videlicet ad intelligenda, credendaque, atque amplectenda, quæ ad Meſſiam pertinebant. Quo duplici pœnarum genere plectendos eſſe Judæos Iſaias cap. *6.* v. 10. ſignificavit illis verbis: השמן לב העם הזה ואזניו

ואזניו הכבד ועיניו השע פן יראה בעיניו ובאזניו ישמע ולבבו יבין ושב
ורפא לו *impingua cor populi hujus, & aures ejus aggrava, & oculos ejus claude, ne forte videat oculis suis, & auribus suis audiat, & corde suo intelligat, & convertatur, & sanet eum.* Hoc Isaiæ vaticinium Adorandus noster Salvator in Evangelio Joannis cap. 12. ad se, & ad Judæos, qui sibi credere recusabant pertinuisse declaravit. Illud quoque, quod Deuteronomio cap. 28. v. 28. dixit Moses de Judæis: יככה יהוה בשגעון ובעורון ובתמהון לבב : והיית
ממשש בצהרים כאשר ימשש העור באפלה ולא תצליח את דרכיך והיית
אך עשוק וגזול כל הימים ואין מושיע *percutiet te Dominus amentia, & cæcitate, & stupore cordis: & palpabis in meridie, sicut palparet cæcus in caligine, & non secundabis vias tuas: & eris profecto oppressus & direptus omnibus diebus; & non erit servator.* Hoc, inquam, Mosis oraculum, nunquam verius, quam nunc, in Judæos dici posse, oculari patet experientia. David præterea in Psalmo 68. v. 23. & seq. cum sub persona sua, tanquam sub figura veri Messiæ exposuisset, quam indignis, & acerbis modis tractandus esset Messias a Judæis, ut verus Propheta, certissime futura prævidens, proxime varias pœnas, partim corporales, partim spirituales, tam immani eorum sceleri comparatas subjunxit: יהי שלחנם לפניהם לפח ולשלומים למוקש : תחשכנה עיניהם
מראות ומתניהם תמיד המעד : שפך עליהם זעמך וחרון אפך ישיגם :
תהי טירתם נשמה באהליהם אל יהי ישב : כי אתה אשר הכית רדפו
ואל מכאוב חלליך יספרו : תנה עון על עונם ואל יבאו בצדקתך : ימחו
מספר חיים ועם צדיקים אל יכתבו *erit mensa eorum coram eis in laqueum, & retributiones, & in offendiculum. Obscurabuntur oculi eorum ne videant, & lumbos eorum semper nutare facies. Effunde super eos iram tuam, & furor iræ tuæ comprehendat eos. Sit habitatio eorum deserta: in tabernaculis eorum non sit qui habitet. Quoniam quem tu percussisti, persecuti sunt: & super dolorem confossorum tuorum narrabunt. Da iniquitatem super iniquitatem eorum, & non intrent in justitiam tuam. Deleantur de libro viventium, & cum justis non scribantur.* Davidem autem hæc vaticinantem prophetico spiritu, spectasse Judæos, qui Jesum nostrum occiderunt, & doctrinam ejus oppugnarunt, non tantum accipere noluerunt: testem habemus Paulum in cap. 11. Epistolæ ad Romanos: qui etiam in secundo capite posterioris Epistolæ ad Thessalonicenses, testatur Judæos expositos esse omni seductioni, & errori,

rori, eo quod claritatem veritatis non receperunt, ut salvi fierent. *Ideoque*, inquit v. 10., *mittet illis Deus operationem erroris, ut credant mendacio, ut judicentur omnes, qui non crediderunt veritati, sed consenserunt iniquitati*. Alia id genus pene sexcenta missa facio Scripturarum oracula, quibus futura Judæorum in Messiam perfidia, obstinatio, pertinacia; eorumque in Sacris litteris intelligendis, exponendisque improba cæcitas, mentisque stupor & cordis denuntiatur. Legat, qui volet, Isaiam cap. 1. v. 2. & seq. cap. 29. v. 10. & seq. Jeremiam cap. 5. v. 21. & 25. cap. 8. v. 5. & seq. Ezechielem cap. 2. v. 2. Oseam cap. 9. v. 17.

Secunda causa est, quia Judæi non pauca Scripturarum vaticinia ad litteram, & in sensu proprio intelligenda putant de vero Messia; quæ dumtaxat mysticum in sensum sumenda veniunt. Cum enim talia ad litteram in Adorando nostro Salvatore adimpleta non fuerint, inde male colligunt illum non fuisse verum Messiam, sed impostorem, ac seductorem.

Tertia tandem, & postrema causa præcedenti fere similis est, quia cum duplex Messiæ adventus divinis in litteris prædicetur, primus in humilitate ad redimendum genus humanum a peccatorum jugo, & servitute Diaboli: secundus in gloria, & majestate ad judicandos homines in fine mundi: cum, inquam, ex divinis Scripturis, res ita se habeat, ut videbimus; Judæi recentiores tanquam omnino obcæcati, geminum hunc Messiæ adventum distinguere nescientes, Prophetarum oracula confundunt, seseque variis implicant erroribus, atque infinita pene mendacia circa Messiæ mysteria componunt. Alii nanque Messiam ipsum in suo adventu in tanta virtute, ac potestate appariturum expectant, ut virum manu fortem ac bellatorem, Gentilium domitorem, qui abrogatam veterem legem instauret, Leviticum Sacerdotium restituat, Salomonicum Templum, ac Jerusalem a fundamentis erigat, ac tandem Judaicam Gentem toto orbe dispersam, ac profugam, relictis, spretisque Gentibus in unum colligat, fortunet, ac beet. Hæc sibi venturi Messiæ criteria fingunt viri miseri. Falsa autem ea cum sint, ut demonstrabimus, falsa similiter esse illorum de Messiæ adventu judicia necesse est. Hinc summa illa frangendæ Judaicæ obstinationis difficultas, & auferendi velaminis labor fere infinitus: ut jam cesserit in proverbium, facilius esse Æthiopem dealbare, quam Hebræum ab errore divellere.

Cum

Cum enim finiſtram illam de Meſſiæ notis, officiis, characteribus, & dotibus opinionem imbiberint, illuc perpetuo vota vertunt: ac licet eruditi viri magno argumentorum apparatu manifeſtum faciant, præſcripta Meſſiæ adventus tempora eveniſſe jampridem, expletas Danielis hebdomades, ablatum Judæ ſceptrum, ereptam prophetiam, Templum everſum, Sacerdotium antiquatum: illi ex adverſo omnes ingenii nervos intendunt, ut clariſſimis vaticiniis nebulas offundant; quod necdum talem Meſſiam viderint, qualem ſibi ſtulte, imprudenterque finxerunt.

Quid plura? Judæi iſti non ſolum venturum Meſſiam adhuc credunt, verum etiam illam Eliæ traditionem, cujus capite præcedenti meminimus, nempe *poſt quatuor mille annos Meſſiam venturum*, adulterarunt, & adjecerunt, *propter peccata ſua tempus protractum eſſe, nec Meſſiam adhuc veniſſe:* imo diris & execrationibus devoverunt illos, qui tempora adventus Meſſiæ ſupputarent, & terminum ejus inquirerent, & dixerunt, *rumpatur ſpiritus*, ideſt, *corpus eorum*, *qui tempora*, adventus nempe Meſſiæ, *ſupputant*.

Quin etiam, quod notandum magis, iſti non ſolum venturum adhuc credunt, ut modo dixi; ſed etiam decem prodigioſa ſigna, inquiunt, adventum Meſſiæ antecedere debent, quibus ad adventum ejus animadvertendum ſinguli monebuntur, & excitabuntur. Hæc porro decem portenta, ut teſtatur doctiſſimus Joannes Buxtorfius cap. 50. Synagogæ Judaicæ, ſcripta leguntur in libello, qui אבקת רוכל *Abkat Rochel pulvis aromatarius* dicitur.

Primum ſignum erit, *quod Deus excitaturus & producturus eſt tres Reges apoſtatas, & a fide ſua deficientes, in hominum tamen conſpectu veri Dei cultum, quamvis animus longe alius ipſis ſit futurus, præſeferentes*. Omnes enim homines ſeducent, illiſque imponent, ut a Deo & fide ſua deficiant, ita ut multi quoque peccatores inter Iſraelitas liberationi ſuæ & redemptioni ſint deſperaturi, Deum abnegaturi, & timorem illius derelicturi. De illis dicitur Iſaiæ cap. 59. v. 15. *defecit veritas;* quid eſt, *defecit?* Quicunque veritatem amant, *catervatim* aufugient, & in latibulis & ſpeluncis ſeſe abſcondent; fortes vero & tyranni illos omnes perſequentur, & interficient. Tum nullus erit Rex in Iſrael, uti ſcribitur Oſeæ cap. 3. v. 4. *dies multos manebunt filii Iſrael ſine Rege, ſine Principe, ſine Sacrificio, ſine Altari, &c.* Nullus

lus erit Academiæ rector, nullus Princeps Synagogæ; nulli fidi pastores, qui populum lege Dei pascant, nulli misericordes & sancti, nulli clari & præstantes viri amplius: cœli claudentur, nullus cibus, nullum alimentum inter homines reperietur. Tres illi Reges plurima dura, iniqua, & tyrannica facient decreta (Dei tamen permissione & ordinatione novem tantum menses regnabunt) adeo ut homines imminuantur & deficiant, & quam Deum abnegare, mori præoptent; decuplum illis tributum imperabunt; qui octo antea pendebat, octoginta in posterum pendet; qui decem, centum; cui non erit in ære, luet in corpore, &c. & graviora in dies onera populo Israelis imponentur. Accedent etiam ab extremis terræ partibus nigri & deformes homines, quos qui intuebitur, præ terrore & metu morietur. Singuli enim duo capita, & septem oculos flammeos & igneos habebunt, tantæque pernicitatis & velocitatis erunt, ut cervos ipsos cursu æquent. Tum Israel clamabit: væ, væ nobis! pueruli vero terrebuntur, & ipsi exclamabunt: ah væ, ah væ! quid nobis faciendum est mi pater? pater vero respondebit: redemptio Israelis prope instat.

Piget has nugas referre, quæ extant tamen in laudato libello: sed utile est sectæ hujus perspectam habere vecordiam.

Alterum hoc est signum: Deus maximum a sole in orbem calorem immittet, unde multi æstus, febres ardentes, pestilentes, aliique morbi orientur, ex quibus mille hominum millia, tum inter Ethnicos & mundi hujus nationes, tum inter impios Israelitas quotidie morientur, ita ut tandem Ethnici in fletus & amaros ejulatus prorumpant & dicant: eheu! quo nos miseros vertemus, ubi nam nos abscondemus? Properabunt itaque, & tumulum sibi ipsis struent, ibique mortem votis suis accersent; præ horrenda siti & doloribus, in omnibus terræ foraminibus & cavernis sese occultabunt. Justis vero & piis inter Israel calor ille medicina erit, uti scribitur Malachiæ cap. 4. v. 2: *& orietur vobis timentibus nomen meum sol justitiæ, & sanitas in pennis ejus*. Idem hoc prædixerat quoque impius Balaamus Num. cap.24. v. 3. *heu, quis victurus est, quando ista faciet Deus?*

Tertio, sanguineum rorem stillabit Deus in terram, qui Christianis & nationibus mundi gratissimus ros esse videbitur: de illo itaque bibent, & omnes morientur: impii quoque inter Israel,

qui redemptionem desperant, de illo bibent, & morientur. Piis vero & justis Judæis, qui in vera in Deum fide perstiterint, non nocebit, ut scribitur Danielis cap. 12. v. 3. *& intelligentes fulgebunt sicut splendor firmamenti, & qui ad justitiam erudiunt multos, quasi stellæ in sæculum, & in æternum*. Et per triduum totus orbis sanguine scatebit, ut scribitur Joelis cap. 3. v. 3. *& dabo prodigia in cœlis, & in terra: sanguinem, & ignem, & columnas fumi.*

Quarto, Deus salubrem rorem iterum demittet, de quo bibant mediocriter pii, qui ex prioris roris potu morbum contraxerant, & sanabuntur, uti scribitur Oseæ cap. 14. v. 6. *ero tanquam ros Israeli, germinabit sicut lilium, &c.*

Quinto, Deus solem in tenebras per triginta dies convertet, uti scribitur Joelis cap. 3. v. 4. *sol convertetur in tenebras, & luna in sanguinem, antequam veniat dies Domini magnus, & horribilis*. Post triginta dies pristinum illis splendorem restituet, uti scribitur Isaiæ cap. 24. v. 22. *& congregabuntur congregatione vinctorum in carcere, & claudentur in carcere, & post multos dies visitabuntur*. Propterea terrebuntur Christiani, & pudebit eos, agnoscentque hæc propter populum Israelis fieri, & multi ad Judaicam fidem convertentur, ut scribitur Jonæ cap. 2. v. 9. *qui custodiunt vanitates frustra, misericordiam suam derelinquent*.

Sexto, Deus impio imperio Idumæo (Romano) totius orbis regimen concedet; quidam vero inter cæteros Romæ exorietur, qui per novem menses universo terrarum orbi dominabitur, & magnas regiones destruet, cujus furor in populum Israel exardebit, & gravissima illi tributa irrogabit, ærumnisque & miseriis multis illos premet. Eo tempore Israelitæ valde imminuentur, delebuntur, & omni auxilio orbabuntur. Tempus illud prædixit Isaias cap. 59. v. 16. cum dixit: *& vidit quod non erat vir, & admiratus est, quod non esset qui occurreret*. Novem illis mensibus elapsis, Dominus Messiam filium Josephi, hoc est, Tribu Josephi oriundum, cui Nehemiæ filio Uzielis nomen erit, mittet, qui cum Tribu Ephrain, Manasse, Beniamin, & Gaditarum parte adveniet. Quam primum hoc Israelitæ audient, & percipient, ad illum ex omnibus urbibus, & regionibus confluent, & congregabuntur, uti scribitur Jeremiæ cap. 3. v. 14. *convertimini filii rebelles, dicit Dominus, quia ego dominatus sum in*

vobis:

vobis, & assumam vos, unum de civitate, & duos de cognatione, & introducam vos in Sion. Tum Messias filius Josephi Regem Idumæum (hoc est Imperatorem Romanorum) aspero bello persequetur, illum superabit, magnamque hostium stragem edet, ipsum denique Idumæorum Regem jugulabit, Imperium Romanum destruet & desolabit, & Sacra quædam vasa, quæ tanquam thesaurus in Imperatoris Æliani ædibus reservantur, Jerosolymam referet. Rex Ægypti pacem quoque cum Israelitis faciet; & omnes illos interficiet, qui circum Jerosolymam, Damascum, & Askalonem habitabunt, cujus rei fama & rumor totum orbem pervadet, magnoque & horrendo pavore omnes homines consternabit.

Septimo, dicunt lapidem marmoreum Romæ esse, qui formosæ Virginis speciem referat, qui non humana dextra, sed divina virtute in illam formam cæsus sit; ad illum convenient sceleratissimi ex omnibus nationibus nebulones, amore illius ardebunt, & nefandis illum prement concubitibus. Ideo Deus creaturam & infantis speciem in lapide illo formabit, & tandem, lapide diviso, infantem educet, qui Armillus impius vocabitur; ille ipse nimirum, quem Gentes vel Christiani Antichristum appellant: longitudine & latitudine duodecim cubitos æquabit, inter utrumque oculum spithamæ interstitium erit, oculis profundis & rubris, capillo aureo, soleis viridibus, & duobus capitibus conspicuus erit. Ille impium Romanorum Regem accedet, & se Messiam, illorumque Deum esse, profitebitur. Confestim Romani in illum credent, & Regem sibi assument, omnesque Idumæi illum amabunt, illique adhærebunt. Ille totam regionem in potestatem suam rediget, & Idumæis (hoc est, Christianis) dicet: huc mihi legem, quam vobis dedi, afferte; illi cum precum suarum libello afferent: ille vero tanquam rem cognitam accipiet, hanc ipsissimam legem suam esse dicet, & ut in se credant, hortabitur. Deinde ad Nehemiam quoque filium Uzielis, & totum Israelem, Jerosolymam legabit, & sibi Judæorum legem afferri, seque Deum esse, ex illa probari jubebit: illi autem magno corripientur metu, summaque illos incedet admiratio. Tum Nehemias cum triginta millibus præstantissimis bellatoribus, e Tribu Ephraim, Armillo cum libro legis obviam prodibit, & hæc verba coram illo leget: *ego sum Dominus Deus tuus, non habebis Deos a-*

lienos coram me: respondebit Armillus; hæc in lege non extare, ac proinde veniant, & se Deum esse confiteantur, & in Deum admittant, uti cæteræ Gentes admiserunt. Nehemias filius Uzielis servis suis illico præcipiet, ut illum capiant & vinciant, & cum triginta suis millibus in prælium prodibit, & ducenta hominum millia ex Armilli copiis cædet. Ira & furore capietur Armillus, omnemque suum populum in profundam vallem congregabit, & cum Israele iterum pugnabit, multosque illorum occidet. Ibi quoque optimus Messias filius Josephi in prælio cadet: verum Sancti Angeli illum efferent, recondent, & cum cæteris Patriarchis conservabunt. Israelitæ vero majorem in modum perterrefient, & cor illorum instar aquæ effluet: sed Armillus Messiam filium Josephi mortuum esse non rescìet; alioqui omnia internecioni daret. Tunc temporis orbis universi nationes Israelitas terris suis ejicient, nec diutius secum habitare permittent, & tantis ærumnis & angustiis urgebuntur Judæi, ut ab ipsius mundi principio tam graves nunquam experti sint. Tum accedet Angelus Michael, & impios ab Israele separabit, uti scribitur Danielis cap. 12. v. 1. *in tempore illo stabit Michael Princeps magnus; qui stat pro filiis populi sui, & erit tempus angustiæ, quale non fuit, &c.* Residui in desertum fugient, & ibi a Deo probabuntur, & instar argenti, & auri defæcabuntur, uti scribitur Ezechielis cap. 20. v. 38. *& eligam de vobis rebelles, & prævaricantes in me*. Item Danielis cap. 12. v. 10. *purificabunt se, & dealbabuntur, & conflabuntur multi, &c.* Et omnes Israelitæ in deserto residui puri & sancti erunt, ibique per quadraginta quinque dies morabuntur, & herbas tantum, folia, & gramen comedent, implebiturque in illis, quod Propheta Oseas dicit cap. 2. v. 14. *propterea ecce ego seduco eam, & ducam in solitudinem, & loquar ad cor ejus*. Verum unde probatur, illis per quinque & quadraginta dies esse in deserto manendum? Ex hisce Danielis verbis cap. 12. v. 11. & 12. *& a tempore quo ablatum fuerit juge Sacrificium, & posita fuerit abominatio in desolationem, dies mille ducenti nonaginta. Beatus qui expectat, & attinget ad dies mille trecentos triginta quinque* (nempe si ad 1290. addideris 45. exurgent 1335.) Illo tempore peribunt & occident omnes impii Israelis, qui digni non sunt, qui redemptionem videant. Tandem quoque impius Armillus Ægyptum expugnabit, uti scribitur

Danie-

Danielis cap. 11. v. 24. *& terra Ægypti non effugiet*. Inde Jerosolymam contendet, & illam denuo solo æquare conabitur, juxta id quod dicitur eodem in capite Danielis v. 45. *& figet tentoria palatii sui inter maria, in monte inclito sanctitatis: & veniet usque ad summitatem ejus, & non erit adjutor ei.*

Octavo, surget magnus ille Angelus Michael, & ingens cornu ter inflabit, uti scribitur Isaiæ cap. 27. v. 13. *& erit in die illa clangetur in tuba magna, & venient qui perditi fuerant de terra, &c.* Item Zachariæ cap. 9. v. 14. *& Dominus Deus in tuba clanget, & vadet in turbinibus Austri*. Cum prima vice medium & æqualem sonum tubæ dabit, verus Messias filius David, & Propheta Elias apparebunt, & se piis Judæis, qui in deserta Judææ fugerant, manifestos facient: tum animos colligent, manus illorum corroborabuntur, crura infirma & debilia firmabuntur. Omnes quoque Judæi per totum orbem vocem tubæ exaudient, & Deum populum suum misericorditer visitare, & perfectam redemptionem instare, & imminere agnoscent: illi etiam congregabuntur, qui in Assyriam captivi abducti sunt. Christianis vero, & aliis Gentibus, clangor ille magnum injiciet terrorem, magnis & gravissimis morbis corripientur. Interea Judæi ad iter Jerosolymitanum se accingent, Messias etiam filius David, & Elias Propheta, cum piis Judæis, qui in deserta Judææ fugerant, cæterique omnes Israelitæ, qui ad illum congregati fuerint, magna cum lætitia Jerosolymam venient. Statim ut hæc audiet impius Armillus, dicet: quousque vilissima hæc & abjectissima Gens recalcitrabit? Ingentes itaque Christianorum copias, & exercitus conscribet, & Jerosolymam ad novum Regem debellandum in expeditionem educet. Verum Deus illos non amplius de angustiis in angustias deducet, sed Messiæ dicet: sede a dextris meis; & populo Israeli: tranquilli & quieti estote, præsentissimumque & valentissimum auxilium, quod vobis hodie Deus ostendet, diligenter considerate. Tum ignem, & sulphur Deus e cœlis pluet, uti scribitur Ezechielis cap. 38. v. 22. *& judicabo eum peste, & sanguine, & imbre vehementi, & lapidibus immensis: ignem, & sulphur pluam super eum, & super exercitum ejus, & super populos multos, qui sunt cum eo.* Impius ille Armillus cum toto exercitu suo ibi morietur, & impii Idumæi (hoc est, Christiani) qui Dei nostri domum perdiderunt, & nos ex patria nostra in capti-

captivitatem abduxerunt, misere peribunt, illosque Judæi ulciscentur, uti scribitur Abdiæ v. 18. *& erit Domus Jacob ignis, & domus Joseph flamma, & domus Esau* (hoc est Christianum imperium; nos enim Esau filios & Idumæos appellant) *stipula: & succendentur in eis, & devorabunt eos: & non erunt reliquiæ domus Esau* (christianorum) *quia Dominus locutus est.*

Nono, cum Archangelus Michael summo & producto sono iterum clanget, omnia sepulchra Jerosolymis aperientur, & Deus omnes mortuos vitæ restituet; Messias quoque filius David, & Elias Propheta, pium Messiam filium Josephi, qui sub porta asservabatur, e mortuis suscitabunt. Interea totus populus Israel, Messiam filium Davidis ad reliquos Judæos, qui passim adhuc inter Christianos, & alias Gentes dispersi manebunt, ablegabit, ut Jerosolymam quoque veniant: hic omnes Gentium Reges sine mora Judæos, qui inter illos adhuc morabuntur humeris suis & rhedis impositos Jerosolymam deducent.

Decimo, cum Angelus Michael tertium clanget, educet Deus illos qui super fluvio Gosan, Lachlach, & Cabor, nec non in urbibus Judæ habitabunt, & sine numero cum filiis Mosis in paradisum venient, terraque a fronte eorum, & a tergo tota erit ignea & flammea, nec quicquam Christianis, reliquisque Gentibus, quo sustentare se & vivere possint, relinquetur. Cum vero decem Israelitarum Tribus educentur, columna nubis præsentiæ gloriosæ majestatis Domini circumdabit eos, & Deus ipse agmen illorum præcedet, uti scribitur Michææ cap. 2. v. 13. *ascendet enim pandens iter ante eos: divident, & transibunt portam, & egredientur per eam, & transibit Rex eorum coram eis, & Dominus in capite eorum.* Deus quoque fontem aperiet illis, qui ex arbore vitæ scaturiet, illosque in via potabit, ita ut nullam unquam sitim patiantur, uti scribitur Isaiæ cap. 41. v. 18. *aperiam in supremis collibus flumina, & in medio camporum fontes: ponam desertum in stagna aquarum, & terram inviam in rivos aquarum.* Item Isaiæ cap. 49. v. 10. *Non esurient, neque sitient, & non percutiet eos æstus, & sol: quia miserator eorum reget eos, & ad fontes aquarum potabit eos.*

Adversus hæc decem adventum Messiæ portendentia signa, in quibus magnæ illis ut plurimum ærumnæ & angustiæ erunt subeundæ, decem habent consolationes.

Prima

Prima consolatio in eo consistit, quod Messias certo adhuc venturus sit, uti scribitur Zachariæ cap. 9. v. 9. *ecce Rex tuus veniet tibi*, &c.

Altera, quod per totum orbem dispersos in unum collecturus & congregaturus sit, uti scribitur Jeremiæ cap. 31. v. 8. *ecce ego adducam eos de terra Aquilonis, & congregabo eos ab extremis terræ: inter quos erunt cæcus, & claudus, prægnans, & pariens simul, cœtus magnus revertentium huc*. Unde discere est, si quis claudus, vel cæcus mortuus fuerit, illum a Messia cæcum, & claudum vitæ restituendum; alter quoque alterum probe agnoscet. Sed postea a Deo sanabuntur, adeo ut claudi instar cervorum saltent, uti scribitur Isaiæ cap. 35. v. 6. *tunc saliet sicut cervus claudus, & aperta erit lingua mutorum*.

Tertia, quod Deus mortuos suscitabit, uti scribitur Danielis cap. 12. v. 2. *& multi de his, qui dormiunt in terræ pulvere, evigilabunt*.

Quarta, quod Deus sanctum Templum instauraturus sit ea forma, qua Propheta Ezechiel vidit.

Quinta, quod populus Israel tunc universo orbi ab extremitate una ad alteram dominabitur, uti scribitur Isaiæ cap. 60. v. 12. *Gens enim & regnum, quod non servierit tibi, peribit: & Gentes solitudine vastabuntur*. Præterea, totus mundus ad Deum convertetur, jurique illius & legi subjicietur, uti scribitur Sophoniæ cap. 3. v. 9. *Quia tunc reddam populis labium electum, ut invocent omnes in nomine Domini, & serviant ei humero uno*.

Sexta, quod Deus illo tempore perdet & delebit omnes populi sui inimicos (christianos) & in illos severe ac vehementer vindicabit, uti scribitur Ezechielis cap. 25. v. 24. *& dabo ultionem meam super Idumæam per manum populi mei Israel*.

Septima, quod Deus omnes morbos & plagas ab Israele tollet, uti scribitur Isaiæ cap. 33. v. 24. *nec dicet incola, ægrotavi: populus qui habitat in ea sublevatus est ab iniquitate*.

Octava, quod Deus populo Israel annos, & vitam prorogabit, & tandiu vivent, quandiu quercus, vel alia arbor id genus subsistit, uti scribitur Isaiæ cap. 65. v. 22. *secundum enim dies ligni, erunt dies populi mei*. Item v. 20. *non erit ibi amplius infans dierum, & senex qui non impleat dies suos: quoniam puer centum annorum morietur* (hoc est, cum quis centum annos natus morietur,

tur, in pueritia, vel puer mortuus dicetur: tandiu enim vivent, quandiu ab Adamo ad Noachum primi homines vixerunt, nempe per aliquot sæcula, ut Aben-Ezra in hunc locum scribit.) Vide etiam Pesachim in Talmud cap. 6. pag. 68.

Nona, quod se Deus ita Israelitis revelabit, ut illum de facie ad faciem videre possint, uti scribitur Isaiæ cap. 40. v. 5. *& revelabitur gloria Domini, & videbit omnis caro pariter, quod os Domini locutum est*. Imo omnes in populo Israel Prophetas reddet, uti dicitur Joelis cap. 2. v. 28. *& erit post hæc: effundam spiritum meum super omnem carnem, & prophetabunt filii vestri, & filiæ vestræ*, &c.

Decima, quod Deus innatas cupiditates, libidines, & mali irritamenta ab illis tollet, uti scribitur Ezechielis cap. 36. v. 26. *& dabo vobis cor novum, & spiritum novum ponam in medio vestri: & auferam cor lapideum de carne vestra, & dabo vobis cor carneum*, &c. Hactenus ex libello Abkat Rochel, pulveris aromatarii. In quibus etiam si summa, & argumentum illorum habeatur, quæ de Messia credunt, & quomodo ab illo in terram suam, terram nimirum Canaan reducendi sint: non inutile tamen fore credo, si paulo fusius descripsero, quibus solemnitatibus a Messia in terra Canaan excipiendi sint, & quis sit faustus, felix, & prosper ille fortunæ flatus, quo sub illo utentur.

Ubi ergo Messias omnes Judæos, ex omnibus nationibus, & mundi partibus congregaverit, & in terram illam melle, & lacte fluentem deduxerit, regium celebrabit convivium, cum magno apparatu & lætitia, omnesque Judæos vocabit, & comiter accipiet. In eo Judæorum quisque ad mensam auream accumbet, uti prolixe docetur in Talmud, tractatu de jejunio. Ibi omnium, quæ Deus unquam creavit, maxima animalia, jumenta nempe, alites, & pisces mactabuntur, generosissimum, & præstantissimum vinum bibetur, quod in paradiso crevit, ibidemque adhuc in Adami cella vinaria reservatur.

Primo, ille שור הבר *schor habbar*, ingens Taurus, horrendæ, & magnitudinis, & roboris, in medium prodibit, cujus in lib. Job cap. 40. v. 10. fit mentio, & בהמות *behemoth* appellatur. Hic ille ipse est taurus, ut ajunt Rabbini, de quo in Psalmo 50. v. 10. legitur: *mea est omnis bestia silvæ: behemoth in montibus mille*, hoc est, qui quotidie montes mille depascitur. Verum jure quærat

rat aliquis, quo tandem taurus hic devenerit? nam jampridem omnes totius orbis montes depastos oportuit. En Rhodus, en saltus! ac sane hic Thomas, qui omnia bene dixit, hic Scoti subtilitas in luto hæreret; sed Magistris nostris nihil est invium, nodum hunc Gordianum egregie solvunt: immobilis stat, nec loco recedit, ut taurus qui saginatur; quod vero interdiu depascitur, noctu in pridianam magnitudinem iterum excrescit. Unde vero potus illi suppetit pro tanta cibi copia digerenda? Rabbi Jochanan dicit: *quicquid aquarum Jordanis intra semestre congregat; uno haustu ingurgitat*, *juxta id quod dicitur* Jobi cap. 40. v. 18. *en comprimet flumen*, *non festinabit: confidit*, *quod educet Jordanem in os suum*. Rabbi Simeon autem ben Jochai dicit: *fluvius egreditur ex Edene*, cui nomen est יובל *Juval*, *& ex eo* bibit, sicut scriptum est Jeremiæ cap. 17. v. 8. ועל יובל ישלח שרשיו *& super Juval mittet radices suas*.

Secundo, huic convivio inferetur magnus ille cetus *leviathan*, de quo etiam in libro Jobi, & alibi in Scriptura agitur.

Tertio, leviathanis hujus fæmella, compar, occisa, & salita apponetur: similiter & vacca, cum tauro illo creata. Huc volunt respexisse Jobum, quando dixit cap. 40. v. 25. יכרו עליו חברים *cœnabunt de eo* (leviathane) *socii*.

De hisce animantibus sapientissimorum Rabbinorum traditio Talmudica legitur, in Talmud *Balab* basra cap. 5. pag. 74. in hæc verba: *quicquid Deus creavit*, *marem & fœminam creavit*, *ac proinde omni dubio procul cetum leviathanem ita quoque creavit*, *sed ne mas fœminam saliret*, *genusque suum propagaret*, *& propter cetorum illorum immensam & inauditam magnitudinem totus orbis desolaretur*, *Deus marem eviravit*, *fœminam vero mactatam salivit*, *justisque & piis Judæis in futurum sæculum*, *hoc est*, in dies Messiæ, *reservavit*, uti scribitur Isaiæ cap. 27. v. 1. *& occidit cetum qui in mari est*. *Pariter quoque ingentem bovem Behemoth qui montes mille depascitur*, *marem & fœminam creavit*; *sed ne similiter multiplicarentur*, *ac per consequens totum orbem perderent & destruerent*, *quid fecit Deus? mari viros decussit*, *& intestabilem reddidit*; *fœminæ vero*, *ne quæ taurum potuerat*, *juvencum vel vitulum ferret*, *sterilitatem immisit*, *& piis Judæis in futurum sæculum recondidit*, uti scribitur Jobi cap. 40. v. 11. *fortitudo ejus in lumbis ejus*, *& virtus illius in umbilico ventris ejus*.

Quarto, scribit Elias Levita in suo Tisbite, se a Rabbinis suis inaudivisse, regio illi convivio inusitatæ magnitudinis avem, quæ בר יוכנה *bar Juchne* dicitur, tostam & assatam apponendam esse, de qua in Talmud, Bechoros cap. ult. pag. 57. scribitur: *quum aliquando ovum e nido decidisset, trecentas proceras cedros casu suo prostravisse ac perfregisse; tandem elisum, sexaginta pagos inundasse*. Unde facile quivis videre potest, *avem*, *piscem*, *& taurum* non multum ab invicem quoad magnitudinem abludere: facile etiam veru quo transfigentur metiri, & ambrosium dapis assariæ nidorem, si non naribus, mente saltem percipere. Cave autem fabulam credas; id genus enim ingentes aves, non solum in Peredia & Perbibesia, sed & in Judæorum regionibus, complures reperiuntur. In loco Talmudis supra citato, hoc est, *Babah basra* cap. 5. pag. 57. side dignissimus Rabbinus corvum non admodum parvum se vidisse testatur. Res ita gesta est: *dixit Rabba bar bar channah, ranam aliquando vidi, quæ magnitudine pagum Akram in Hagronia æquabat. Sed quantus erat pagus ille? sexaginta domos capiebat. Accessit serpens immanis, qui ranam absorpsit. Verum supervenit corvus, qui serpentem cum rana tam facile devoravit, quam vulpes pyrum comest, & inde in arborem proximam evolavit.* (Jam vero arboris hujus crassitudinem & altitudinem radio suo describat Archimedes.) *Respondit Rabah Papa filius Samuelis: nisi ipse locum illum vidissem, non credidissem.* Hactenus e Talmud. Quis autem asinum hunc rabidum, Rabbinum, inquam, crocitantem mendacii redarguat? Ipse Kimchius in Psalmum quinquagesimum v. 11. ad expositionem voculæ זיז scribit: *Rabbi Jehudam filium Simeonis dixisse ziz, avem esse tam grandem, ut, cum alas expandit, spheram solis obtegat, & eclipsim universo orbi inducat. Aliquando etiam Rabbinus navigans, in medio mari avem genuum tenus in aquam stantem vidit; itaque secum navigantibus dixit: hic lavemur: aqua enim profunda non est. Vox vero e cœlis audita est*, dicens: Rabbi, *cave faxis, ante septennium enim cuidam hic securis manibus excidit, quæ imum nondum attigit*. Unde expendere est, quanta fuerint avis illius crura, & pro crurum proportione reliquum corpus. Nullum dubium est, quin id genus aves in silvam *Ela* se recipiant, in qua inauditi, terribilis, & immanis leonis lustrum memoratur, de quo leone hæc in Talmud, cholin cap. 3. pag. 59. habentur: *cum aliquando*

quando Romanorum Imperator R. Jehosuam filium Ananiæ interrogasset; cur Judæorum Deus se leoni compararet, & an adeo robustus esset, ut leonem interficere posset? respondit Rabbi, Deum seipsum vulgari leoni non comparare, sed leoni illi qui in silva Ela delitescit. Imperator leonem sibi ostendi jussit. Illum vero e cubili suo, & ex silva, precibus ad Deum factis, Rabbinus eduxit. Cum ab Imperatore passuum millibus quadringentis abesset, tam horrendum rugiit ut omnes mulieres gravidæ Romæ abortierint, & muri urbis conciderint; sed cum passuum millibus centum propior accessisset, iterum tam immane rugiit, ut omnibus hominibus Romæ dentes exciderint; ipse vero Imperator de sedili suo corruens, parum a morte absuerit. Hic Imperator Rabbino supplicavit, ut leonem in lustrum suum reduceret, quod factum est. Verum longius a regali nostro convivio recedimus.

Post hæc Tragemata quoque apponentur, & fructus dulces omne genus ex horto Edenis; imo de ipso arbore vitæ ipsis comedendum dabit, uti in *caphtor uperach* ex Medrash adducitur, fol. 58. col. 1. Hinc & in Targ. Cantc. 8. 2. legitur: *comedemus etiam de malogranatis Edenicis, quæ pro justis illic asservantur.*

Sane carnem hanc bubulam, & piscium salsamenta, poculum subsequi debet; alioqui non facile a stomacho concoquerentur. Ideo Messias in hoc convivio præstantissimum vetus vinum apponet, non illud quidem Falernum, sed quod statim ab ipsa mundi creatione in paradiso crevit, ibique in Adami torculari vel cella in illud usque tempus asservatum fuerit, uti scribitur Isaiæ cap. 27. v. 2. *in die illa: vinea meri, cantate ei: ego Dominus custodio eam.* Item Psalm. 75. v. 9. *calix in manu Domini, & vinum quod in eo rubet, plenus mixto, & effudit ex hoc*, &c. De hoc explicant illud Isaiæ cap. 64. v. 4. *oculus non vidit præter te.* Sub finem convivii poculum ipsis infundet, super quo consueto more gratias agant: ipsi vero Deo gloriam tribuentes, ei hoc officium deferent; Deus illud offeret Michaeli; Michael Gabrieli; Gabriel Abrahamo; Abrahamus Isaaco; Isaacus Mosi; Moses Josepho: his omnibus, ceu tanto honore non dignis, detrectantibus, tandem id injunget Deus Davidi, dicens, æquum esse, ut terrenus Rex Regi cœlesti gratias agat. Cui David, bene, gratias ergo agam, & me quoque hoc decet, sicut dicitur Psalm. 116. v. 13. *poculum salutum accipiam, & nomen Domini invocabo.* Extant hæc in

Talmud Pesach fol. 119. 2. Poculum hoc continebit 221. mensuras, sicut iterum in Talmud docetur: *poculum Davidis in sæculo venturo* 221. logos continebit, sicut dicitur Psalm. 23. v. 5. *poculum meum* רויה *revajah exuberans*. Unde vero hæ 221. mensuræ? Ex eo quod per Gematriam vox רויה in literis hunc numerum conficit.

Num vero omnia hæc abligurient, nihilque residui in mensa relinquent? Omnino. Quid ergo de eo fiet? Illi inter se divident, & Jerosolymis in foro venum exponent, juxta id quod dicitur Jobi cap. 40. v. 25. *divident illum inter negotiatores*, *nempe leviathanem*. *Ex cute seu pelle vero ejus Deus faciet tabernacula vel umbracula pro justis*, sicut iterum dicitur ibidem v. 26. *implebis tabernaculis pellem ejus*. *Reliquum expandet super muros Jerosolymitanos*, *quod lucem a se sparget inde ab extremitate mundi una usque ad alteram*, *sicut scriptum est* Isaiæ cap. 60. v. 2. *& ambulabunt Gentes in lumine tuo*, *& Reges in splendore ortus tui*. Item cap. 54. v. 12. *& ponam ex margaritis fenestras tuas*. Habentur hæc in Talmud Bava bas fol. 75. col. 1.

Cæterum Messias ille, antequam convivium instruat, ludos exhibebit, ut cæteri Reges, & Principes in conviviis nuptialibus, vel aliis solemnioribus, convivarum exhilarandorum gratia solent. Taurum itaque *Behemoth*, & immanem cetum leviathanem, in arena inter se committet, ut illorum lusu recreetur, uti scribitur Jobi cap. 40. v. 15. *omnes bestiæ agri ludent ibi*. Item Psalm. 104. v. 26. *leviathan iste quem formasti*, *ad ludendum cum eo*. Taurus ergo currens, & recurrens, cornua sua in cetum acuet, quod Messiæ gratissimum & jucundissimum erit, uti scribitur Psalm. 69. v. 32. *gratius erit Domino*, *quam bos*, *& vitulus cornua producens*, &c. Leviathan vero tauro occurret, squamis suis, instar thoracis & loricæ, instructus, visu horrendus & terribilis, uti scribitur Jobi cap. 41. v. 6. *corpus illius quasi scuta fusilia*, *compactum squamis se prementibus*, &c. Hic pugna demum crudescet, sed irrito successu; quia enim æqualium sunt virium, uterque defatigatus corruet. Tum Messias gladio stricto utrunque confodiet, & interficiet, uti scribitur Isaiæ cap. 27. v. 7. *in die illa visitabit Dominus gladio suo duro*, *& grandi*, *& forti super leviathan serpentem tortuosum*. Item Jobi cap. 40. v. 14. *qui fecit eum*, *applicabit ei gladium suum*. Item Psalm. 74. v. 13. *confregisti capita cetorum*.

torum. Prunas deinde verubus subjicient & adjiciales illas epulas præparabunt, uti scribitur Isaiæ cap. 25. v. 6. *& faciet Dominus exercituum omnibus populis in monte hoc convivium pinguium, convivium defæcatorum purgatorum*. Pisces distribuentur, & hilariter epulabuntur, uti scribitur Jobi cap. 40. v. 25. *convivium apparabunt super eum socii, divident illum negotiatores*.

Epulis his peractis, Deus choream quoque piis instituet, sicut in Masseches Taanis, seu de jejunio fol. 31. scribitur: *dixit R. Eliefer, faciet Deus chorum pro justis, & ipsemet sedebit inter eos in horto Edenis, & unusquisque digito exerto eum ostendet, & dicet in die illo: ecce Deus noster iste, expectavimus eum, exultabimus, & lætabimur in salute ejus*, Isaiæ cap. 25. v. 9.

Post hæc, *Messias quoque uxorem ducet*, uti scribitur Psalm. 45. v. 10. *filiæ Regum cum honorabilibus tuis: adstitit conjux ad dexteram tuam in auro Ophir*, ideft, ut Judæi ipsi interpretantur, *inter uxores tuas inclytas erunt filiæ Regum*. Magno enim Reges terræ sibi honori ducent, filias suas Messiæ in uxores dare. Verum præcipua Messiæ uxor, eademque Regina (quæ hic voce שגל *Segal* proprie designatur) erit e formosissimarum puellarum Israelitidum numero; illa ad dexteram Regis astabit, & perpetua regii thalami consors erit: reliquæ vero in Gynecæo asservabuntur, nec ad Regem nisi vocatæ venient.

In hoc matrimonio Messias filiis, & nepotibus augebitur, deinde fato fungetur, non secus ac cæteri homines. Filii ejus illi in Imperio succedent, & Israeli dominabuntur, uti scribitur Isaiæ cap. 53. v. 10. *videbit semen longævum, & voluntas Domini in manu ejus prosperabitur*, hoc est, exponente Rambam, *longævus quidem erit Messias, sed tandem ipse quoque in magna gloria morietur, & filius ejus in loco suo regnabit, & ita deinceps posteri omnes*.

Sed quomodo Judæi in patria sua sub Messia suo vivent?

Primum, Christiani, cæteræque Gentes superstites, & quarum jugulis pepercerint, ædes illis, & urbes ædificabunt, agros colent, vineas plantabunt, & quidem sine ulla mercedis spe: facultates enim suas ultro illis insuper offerent; imo Pincipes & Magnates illis servient, & subditi erunt. Ipsi vero pretiosis amicti vestibus ambulabunt, & spatiabuntur, instar Sacerdotum unctorum, Domino consecratorum, sicut scribitur Isaiæ cap. 60. v. 10. & seq.

seq. *& ædificabunt filii peregrinorum muros tuos, & Reges eorum ministrabunt tibi . . . . . Et aperientur portæ tuæ jugiter : die ac nocte non claudentur, ut afferatur ad te fortitudo Gentium, & Reges earum adducantur. Gens enim & regnum, quod non servierit tibi, peribit*. Item Isaiæ cap. 61. v. 5. & seq. *& stabunt alieni, & pascent pecora vestra : & filii peregrinorum, agricolæ, & vinitores vestri erunt. Vos autem Sacerdotes Domini vocabimini, ministri Dei nostri, dicetur vobis : facultatem Gentium comedetis, & in gloria earum superbietis*. (Ah quis hic Judæorum sitim, & aviditatem exprimat ! quam tamen sine ullo vultus sui sudore multi restinguunt, magno sæpe Christianorum detrimento aliquot aureorum millia corradentes.)

Novus quoque, purus, & salubris aer aspirabit eis, uti scribitur Isaiæ cap. 65. v. 17. *ecce ego creo cælos novos, & terram novam*. Ideo secunda fruentur valetudine, & longioris ævi erunt, non secus ac illi qui ante diluvium vixerunt ; in senectute quoque vividi & robusti erunt ut in juventute, juxta id quod scribitur Psalm. 92. v. 15. *adhuc fructificabunt in senectute, pingues, & virides erunt*.

Triticum semel satum, quotannis sponte proveniet, germinabit, spicabitur, & maturitatem suam assequetur, non secus ac sarmentum semel in terram depactum, uti scribitur Oseæ cap. 14. v. 8. *vivificabunt seipsos ut triticum, & germinabunt ut vitis*.

Si quis horto suo, vel agro suo, vel minimo etiam olusculo, peculiarem pluviam optaverit, illam a Deo impetrabit, uti scribitur Zachariæ cap. 10. v. 1. *petite a Domino pluviam in tempore serotino, Dominus faciet nubes, & pluviam imbris dabit eis, unicuique herbam in agro*.

Tum triticum suum, & vinum in alta quiete & securitate colligent, nec illis ab ullo hoste nocebitur, uti scribitur Isaiæ cap. 62. v. 8. *juravit Dominus per dexteram suam, & per brachium fortitudinis suæ : si dedero triticum tuum ultra in cibum inimicis tuis, & si biberint filii alieni vinum tuum, in quo laborasti : sed congregantes illud, comedent illud, & laudabunt Dominum*.

Arbores novos fructus quotidie proferent : terra placentas dulces, & vestes sericas, sine labore hominis, edet, non secus ac quotidie fungos producit ac boletos : mulieres quotidie parient, juxta id quod Jeremias dicit cap. 31. v. 8. *concipiens, & pariens simul*.

Nul-

Nullum amplius bellum vel belli rumor in terra erit, ſed ſolida & æterna pax inter homines, & feras, uti ſcribitur Oſeæ cap. 2. v. 18. *& percutiam cum eis fœdus in die illa, cum beſtia agri, cum volucre cæli, & cum reptili terræ, & arcum, & gladium, & bellum conteram de terra, & dormire eos faciam fiducialiter.* Item Iſaiæ cap. 11. v. 6. *habitabit lupus cum agno*, &c.

Quum inter Ethnicos, & peregrinas Gentes bellum orietur, Meſſias pacis & concordiæ arbiter erit, adeo ut nullus manum gladio admovere audeat, uti ſcribitur Iſaiæ cap. 2. v. 4. *& judicabit Gentes, & arguet populos multos, & conflabunt gladios ſuos in vomeres, & lanceas ſuas in falces: non levabit Gens contra Gentem gladium, nec exercebuntur ultra ad prælium.*

Tum Judæi æterna perfundentur lætitia, novas nuptias celebrabunt, Deumque aſſidue & indeſinenter laudabunt, & omnes ſapientia & cognitione Dei pleni erunt, uti ſcribitur Jeremiæ cap. 33. v. 10. & 11. *Sic dixit Dominus: adhuc audietur in loco iſto, quem vos dicitis eſſe deſertum . . . . . Vox gaudii, & vox lætitiæ, vox ſponſi, & vox ſponſæ, vox dicentium: confitemini Domino exercituum*, &c. Item Iſaiæ cap. 11. v. 9. *repleta eſt terra ſcientia Domini, ſicut aquæ mare operientes.*

Novi equidem, eſſe inter illos, qui hæc omnia allegorice explicant, quod nempe ſub his hyperbolicis, & carnalibus figuris, magnitudo bonorum, & gaudiorum cœleſtium ſpiritualis adumbretur, humano loquendi more, ad movenda corda, & deſiderium eorum excitandum, quo unuſquiſque ſtudeat tantæ felicitatis aliquando particeps fieri. Non tamen omnem etiam fidem illis derogant, prout ad litteram ſonant, ſicut id videre eſt in libro *Schylchan arba*, Porta 4. ubi rationibus prolixe probatur, hæc omnia ad litteram implenda eſſe. Et R. Meir Aldabi in libro *Schevile emunah* fol. mihi 113. poſteaquam illic de ſpiritualibus bonis hæc ſingula explicaſſet & applicaſſet, porro ſubjungit: *non eſt autem quod quis exiſtimet, me ideo hæc Rabbinorum noſtrorum dicta, de convivio Meſſiæ, in dubium vocare, aut negare. Abſit hoc a nobis! Hoc vero dicimus, illas epulas non fore pro replendo ventre, uti ſimplices, & ſtolidi nonnulli intelligunt, ſed ad augendum intellectum, ut iis idoneus reddatur ad ea capienda, & aſſequenda, quæ eo tempore apprehendenda ſunt. Sunt nimirum hæc ex iis, quæ habent ſenſum manifeſtum & occultum, & ambo ſunt veri.*

ri. *Ad hæc respexit Salomon, quando dixit* Proverb. cap. 25. v. 11. *Sicut mala aurea cum figuris argenteis, est verbum dictum cum modis suis. Volunt enim dicere;* verbum dictum duplici sensu, manifesto scilicet & occulto, (qualia sunt præsentia, de quibus agitur) esse sicut malum aureum argenteis & perforatis palis tectum & inclusum: quamvis enim argentum exterius videatur eximium, tamen si quis interius per illa foramina conspiciat, illud longe præstantius deprehendet; quando scilicet aurum argento præstat. *Rabbini quippe nostri non semper loquuntur verbis simplicibus; sed necessitas eos quandoque adigit, ut ænigmatice & figurate loquantur, quando scilicet de iis agunt, quæ non ad vulgi captum & usum, sed pro eruditis & intelligentibus servire debent*, &c. Videatur & R. Moses ben Majemon in *Hilchos Teschuvah* cap. 8. & *Hilchos Melachin* cap. ult.

In summa, hujusce Gentis tanta erit felicitas, ut ipsa cogitatione concipi non possit, nedum ut verbis exprimi queat. Judæos itaque in hac sua prosperitate sollicitare nolo, nec fidei illorum arcana Christianis prodere ultra pergam. Hoc satis superque. Adde, quod illis non valde arridebit, quod & fidem illorum, & vitam eo usque retexerim. Hactenus doctissimus sane vir Joannes Buxtorfius.

Alii autem Judæorum (ut eo unde digressus sum redeam) & ob ea, quæ de Messiæ humilitate, labore, angustia, ignominia, passione, ac morte in primo ejus adventu subeunda, Sacri Vates prædixerunt; & ob ea, quæ de ejus majestate, & gloria in secundo ipsius adventu manifestanda, Prophetæ ipsi prænuntiarunt, duos, ut supra observavimus comminiscuntur venturos Messias: alterum, in quem conveniunt abjecta quæque, & humilia de Messia prædicta Sacris in libris, quem Messiam filium Josephi appellant, qui pauper erit & vilis, vir tamen strenuus & rei bellicæ peritissimus: alterum, cui splendida, & magnifica omnia de eodem nuntiata tribuunt, quem Messiam filium Davidis vocant, qui verus Messias, & Rex Israelis erit, quique eis in terram canaan præerit: huic discrepantiæ oraculorum, quibus duo portenduntur Messiæ adventus, humilis alter & inglorius, splendidus alter & magnificus, optime occurrere se posse sperantes. Verum si Prophetarum oracula recte intelligere vellent, non solum in tot errores non inciderent, sed etiam veritatem ipsam facile agnoscere

re possent. Nam si varios veniendi modos quos Messiæ Sacri Vates assignant, animadverterent, eos de uno eodemque adventu verificari non posse invenirent: quin potius ex diversis ipsis veniendi modis, duos esse Messiæ adventus, & ipsi quoque concederent: quod si facerent, facile ad veritatis agnitionem pervenirent. Nonne Zacharias Messiam ipsum in forma pauperis super asinam & ejus pullum equitantem, venturum prædixit? Sic enim cap. 9. v. 9. ait: גילי מאד בת ציון הריעי בת ירושלם הנה מלכך יבוא לך צדיק ונושע הוא עני ורכב על חמור ועל עיר בן אתנות *exulta valde filia Sion, jubila filia Jerusalem, ecce Rex tuus veniet tibi justus, & salvatus ipse: pauper, & equitans super asinum, & super pullum filium asinarum*, idest, unius ex asinis. Nonne etiam in Daniele, eundem Messiam in nubibus cœli, quasi filium hominis venturum esse, scriptum est? Ipse quippe cap. 7. v. 13. ait: חזה הוית בחזוי ליליא וארו עם ענני שמיא כבר אנש אתה הוא *aspiciebam in visionibus noctis, & ecce cum nubibus cœli tanquam filius hominis veniebat*. Pespectum est igitur utrumque Vatem de uno eodemque Messia laudatis in locis sermonem instituisse: cui tamen longe diversos veniendi modos assignant. Nam Zacharias quidem ipsum pauperem, & asinæ insidentem venturum dicit: Daniel vero eum cum nubibus cœli, quasi filium hominis e cœlo cum gloria descensurum ait: quod Talmudistæ non parum mirantur. Nam ut legitur in libro Sanhedrin, cap. *belec* R. Jehosuas filius Levi quæsivit *quidnam esset, quod Messias apud Danielem quidem cum nubibus cœli venturus describitur; apud Zachariam vero pauper, & super asinam sedens?* Quia igitur hi duo veniendi modi, qui a Sacris istis Vatibus Messiæ tribuuntur, simul esse non possunt, nec invicem semet pati, duos esse Messiæ adventus fatendum est; alterum cum humilitate ad redimendum genus humanum a peccatorum jugo, & servitute Diaboli; alterum cum majestate & gloria ad judicandos homines in fine mundi, & ad retribuendum eis præmium secundum opera eorum: videlicet ad glorificandum justos, & resuscitandum eos ad immortalitatem & gloriam æternam; & impios ad pœnam sempiternam. De primo locutus est Zacharias, de secundo Daniel. Quod ex iis quoque quæ ibidem adjiciunt facile videri potest: nam Zacharias quidem eodem in capite, non modo Messiam ipsum, pauperem, & humilem, ac salvatorem appellat, eo quod per humilitatem, &

paupertatem humano generi ſalutem allaturus eſſet : ſed redemptionis quoque opus exprimit , quod per Meſſiam fieri debebat , cum v. 11. inquit: גם את בדם בריתך שלחתי אסיריך מבור *etiam tu in ſanguine fœderis tui: emiſi vinctos tuos de ciſterna*. Et v. 10. ודבר שלום לגוים *& loquetur pacem Gentibus*. Pacem , inquam , quam Meſſias hominibus ſanguine ſuo quæſivit placato Deo , & hominibus reconciliato , ſedatiſque conſcientiæ terroribus , ac ſtimulis , quæ facinoroſis hominibus teterrimum bellum indicunt . Quæ omnia redemptionis myſterium aperte oſtendunt. Daniel quoque eodem in capite hæc etiam inter cætera v. 10. dicit : דינא יתב וספרין פתיחו *judicium ſedit , & libri aperti ſunt* . Ex quibus verbis perſpicuum eſt, Danielem de ſecundo Meſſiæ adventu fuiſſe locutum. Ex horum igitur Prophetarum, aliorumque oraculis, præſertim vero Iſaiæ 3. v. 14. cap. 8. v. 14. cap. 9. v. 6. & ſeq. cap. 13. v. 9. & ſeq. cap. 25. v. 8. cap. 28. v. 16. & 17. cap. 40. v. 3. cap. 42. v. 1. & ſeq. cap. 52. v. 13. & ſeq. cap. 53. v. 1. & ſeq. cap. 66. v. 15. & 16. Danielis cap. 9. v. 24. cap. 12. v. 1. & 2. Joelis cap. 2. v. 1. & ſeq. cap. 3. v. 3. & ſeq. Malachiæ cap. 3. v. 1. cap. 4. v. 5. perſpicue colligitur , duplicem eſſe Meſſiæ adventum.

Ex hiſce omnibus, quæ hoc in capite diximus, ſatis intelligere æquis lectoribus dabitur , oppanſo ante lumina velo infelicem hanc Gentem in tenebris verſari : nihilque eſſe totam Hebræorum religionem, quam pervicaciam, & obſtinationem; eorumque fidem, non in Moſe, ſed in mendaciis , falſis & futilibus traditionibus, Rabbinorum & ſeductorum fabulis , poſitam eſſe ; ideo non amplius Chriſtianis dicendum eſſe , Judæos legi Moſaicæ mordicus adhærere, ſed cum Propheta Jeremia cap. 8. v. 5. & 6. החזיקו בתרמית מאנו לשוב : הקשבתי ואשמע לוא כן ידברו *apprehenderunt dolum*, *renuerunt reverti* . . *Attendi* , *& audivi* , *non rectum loquentur*. Similiter cum Adorando noſtro Salvatore , Matthæi cap. 15. v. 6. *& irritum faciunt mandatum Dei propter traditionem ſuam*. Et demum cum Divo Paulo Epiſtol. ad Titum cap. 1. v. 16. *confitentur ſe noſſe Deum* , *factis autem eum negant : cum ſint abominati* , *& incredibiles* , *& ad omne opus bonum reprobi* . Nullam Meſſiæ ideam luculentam habere : nihil credere niſi corruptum , dum ſacroſanctum Dei Verbum tam miſere vitiant , & detorquent , & pudende contra omnem ſen-

ſum

ſum & rationem, abſque ullo pudore & intellectu, explicant & exponunt: nihil tandem ſperare niſi quod terrenum ſit & carnale. Fruſtra illos ad ſpirituales ſenſus elevaveris; pariaque de regno Meſſiæ concipiunt, ac Muhammedes de paradiſo. Aperi, quæſo, Domine, obducta infelicium lumina, ut per totam terræ faciem coruſcantem lucem agnoſcant: aufer cor lapideum, & da illis cor carneum.





DISSERTATIO QUINTA.



Essias sacris Prophetarum oraculis prædictus, non Judæos tantum, verum etiam Gentes, atque illas maxime vocaturus erat; necnon idololatriam deleturus.

Hactenus de præfinito salutaris Messiæ adventus tempore diximus: postulat in præsentia suscepti operis ratio, ut de variis prænuntiati Messiæ notis, dotibus, officiis, & characteribus dicamus. Cæterum, ut est istud magnæ molis opus, nec una dissertatione conficiendum, rem totam per partes aggrediemur: hocque unum erit hujusce dissertationis argumentum: Messiam a sacris Vatibus prænuntiatum, non Judæos modo, verum etiam Gentes, atque illas maxime vocaturum fuisse; & idololatriam deleturum.

Et sane, quod ad primum caput attinet, post adventum Messiæ, ejusque beneficio, Gentes aliquando, relictis idolis, ad verum Deum, quem Israelitæ colebant, receptum habituras, seque illius ad cultum applicaturas, innumera Scripturarum loca prædicant: ex quibus pauca seligam. Primum in libro Psalmorum sæpe illud Propheta Regius demonstrat: velut in Psalmo secundo, & vigesimo primo; nec non septuagesimo primo.

In priore de tribus Deus Christum suum alloquitur, ac Gentes ejus potestati subjiciendas pollicetur: שאל ממני ואתנה גוים נחלתך ואחזתך אפסי ארץ *postula a me*, inquit v. 8., *& dabo Gentes hæreditatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ*. Hunc vero Psalmum de Messia interpretandum esse veteres Judæi palam confessi sunt, ut constat ex libro Talmudis *Sucha* cap. 5. ex R. Se-

R. Selomoh Jarchi, & ex Bereſſith rabba, ex R. Aben-Ezra, ex R. David Kimchi, R. Simeon in Jalcut, R. Saadias Gaon in Danielem, & Midraſch Theillim. Sed & Muhammedani, non in Chriſtum tantummodo, ſed & in Jeſum ſpeciatim Pſalmum hunc convenire docent, teſte Muhammedo Ebn Jacob Alſirauzabadio in lexico, quod *eamus*, ſive *oceanum* inſcripſit. Hunc etiam Pſalmum ad Chriſtum Jeſum retulerunt Apoſtoli, & Diſcipuli Chriſti, Deum ſic orantes, Actuum cap. 4. v. 24. & ſeq. *Domine, qui Spiritu Sancto per os patris noſtri David pueri tui dixiſti: quare fremuerunt Gentes, & populi meditati ſunt inania? Adſtiterunt Reges terræ, & Principes convenerunt in unum adverſus Dominum, & adverſus Chriſtum ejus. Convenerunt enim vere in civitate iſta adverſus Sanctum puerum tuum Jeſum, quem unxiſti, Herodes & Pontius Pilatus cum Gentibus, & populis Iſrael, facere quæ manus tua, & conſilium tuum decreverunt fieri*. Sic Paulus Judæus Piſidas publice in Synagoga adhortabatur, ut refertur Actuum cap. 13. v. 32. & 33. *nos vobis annuntiamus eam, quæ ad Patres noſtros repromiſſio facta eſt: quoniam hanc Deus adimplevit filiis noſtris, reſuſcitans Jeſum, ſicut & in Pſalmo ſecundo ſcriptum eſt: filius meus es tu, ego hodie genui te*. Atqui hæc Paulum tam diſerte affirmare auſurum non fuiſſe credibile eſt, niſi id communi perſuaſione inter Judæos receptum eſſe perſpectum habuiſſet. Nec id quoque ad Hebræos cap. 1. v. 4. & 5. ſcripſiſſet de Chriſto: *tanto melior Angelis effectus, quanto differentius præ illis nomen hæreditavit. Cui enim dixit aliquando Angelorum: filius meus es tu, ego hodie genui te*. Sane Davidem terram ad extremos uſque fines in ſua poteſtate redigiſſe, nemo Judæorum tam pertinax eſt qui aſſerere audeat. In Chriſto autem Jeſu id impletum, ejuſque ſpiritale regnum ad extremos uſque mundi fines porrectum, diffuſa per totum orbem Eccleſia, evidens eſt. Hinc Tertullianus libro adverſus Judæos, cap. 12. *aſpice*, inquit, *univerſas nationes, de voragine erroris humani exinde emergentes ad Dominum Deum creatorem, & ad Deum Chriſtum ejus. Et ſi audes, nega prophetatum, ſtatim tibi promiſſio Patris occurrit in Pſalmis, dicens: filius meus es tu, ego hodie genui te. Pete a me, & dabo tibi Gentes hæreditatem tuam, & poſſeſſionem tuam terminos terræ. Nec poteris eum magis David filium dicere, quam Chriſtum; aut terminos terræ David potius promiſſos, qui intra unicam Judæam regnavit,*

vit, quam Christo, qui totum jam orbem Evangelii sui fide cepit, sicut per Isaiam dicit: ecce dedi te in dispositionem generis mei, in lucem Gentium, aperire oculos cæcorum, utique errantium, exolvere de vinculis vinctos, idest, de delictis liberare, de domo carceris, idest, mortis, sedentes in tenebris, ignorantiæ scilicet. Plura qui volet, consulat Eusebii demonstrationem, in cujus quarto libro cap. *16.* ostenditur, hujus Psalmi prophetiam nec in Davide, nec in aliquo ex illius nepotibus Judaicæ Gentis, sed in solo Jesu Christo impletam fuisse.

In vigesimo primo Psalmo palam est Gentium ad Deum verum conversionem prædici. Nam & Psalmus ille de Messia, nec alio, quam Jesu Nazareno, prorsus capiendus est: cujus & historiam omnem tolerati in Cruce supplicii graphice describit. Ibi Gentium ista resipiscentia, & ad Dei cultum applicatio luculenter exprimitur, cum sic ait v. 28. & 29. יזכרו וישבו אל יהוה כל אפסי ארץ וישתחוו לפניך כל משפחות גוים : כי ליהוה המלוכה ומושל בגוים *reminiscentur, & convertentur ad Dominum omnes fines terræ: & inclinabunt se coram te universæ familiæ Gentium. Quoniam Domini est regnum, & dominabitur Gentibus.* Psalmum hunc pertinere ad Messiam, docetur in Midrasch Theillim; & in libro Talmudico Sanhedrin, capite ultimo, tanquam certum id sumitur.

Sic in Psalmo 71. Messiæ regnum toto orbe propagandum prædicitur: וירד מים עד ים ומנהר עד אפסי ארץ *& dominabitur*, inquit v. 8., *a mari usque ad mare, & a flumine usque ad terminos terræ.* Et v. 17. ויתברכו בו כל גוים יאשרוהו *& benedicentur in eo omnes Gentes, & beatificabunt eum.* Et quamvis in Salomonem inscriptus sit iste Psalmus; ac tum a Davide sit editus, ut Hebræi Interpretes asserunt, quando Salomonem filium suum successorem sibi constituit, & ungi, atque in solio suo collocari jussit; altiore tamen sensu ad Messiam refertur, cujus ille figuram adumbravit. Itaque novi illius Regis occasione, majori aspirante numinis afflatu, David in Messiam, ac spiritale ipsius imperium mentis oculos intendit. Ad Messiam porro pertinere Psalmum hunc constans est Judæorum consensus. Id docent Chaldæus Paraphrastes, & Midrasch Theillim, & liber Siphre, & R. Selomoh Jarchi, & Aben-Ezra, & R. David Kimchi, & Saadias Gaon in Danielem. Quare ex illo Davidis testimonio validissime demonstratur,

ſtratur, Gentes ad veri Dei cultum adducendas eſſe, quando Meſſias advenerit.

Idem illud de Gentium futura converſione ad unius, verique numinis agnitionem, & cultum, poſtquam Meſſias venerit, inſigni vaticinio teſtatus eſt Iſaias cap. 2. v. 2. והיה באחרית הימים נכון יהיה הר בית יהוה בראש ההרים ונשא מגבעות ונהרו אליו כל הגוים *& erit in noviſſimis diebus præparatus mons domus Domini in vertice montium, & elevabit ſe præ collibus: & confluent ad eum omnes Gentes.* Meſſiam his prædici Hebræi & Chriſtiani uno ore declarant; David præſertim Kimchius, & Aben-Ezra in Michæam, apud quem iſta Iſaiæ totidem propemodum verbis repetita invenies. Rurſus cap. 49. v. 6. נקל מהיותך לי עבד להקים את שבטי יעקב ונצירי ישראל להשיב ונתתיך לאור גוים להיות ישועתי עד קצה הארץ *leve eſt*, inquit Iſaias, *ut ſis mihi ſervus ad ſuſcitandas Tribus Jacob, & deſolatos Iſrael ad convertendos: & dedi te in lucem Gentium, ut ſis ſalus mea uſque ad extremum terræ.* Et cap. 55. v. 4. & 5. הן עד לאומים נתתיו נגיד ומצוה לאמים: הן גוי לא תדע תקרא וגוי לא ידעוך אליך ירוצו למען יהוה אלהיך ולקדוש ישראל כי פארך *en teſtem populi dedi eum, Ducem, & præceptorem populis. Ecce Gentem quam neſciebas vocabis, & Gentes quæ non cognoverunt te, ad te current, propter Dominum Deum tuum, & Sanctum Iſrael, quia glorificavit te.*

Ubi illud obſervare attinet, quod *Ducem, ac præceptorem Gentibus* fore pollicetur, eandem in Hebræo dictionem uſurpari, quæ *Duci* reſpondet, qua Danielis nono Meſſias, ideſt, Chriſtus appellatur; ubi ſcriptum eſt, *uſque ad Chriſtum Ducem*, נגיד; quæ vox *Anteceſſorem*, *Antiſtitem*, *Præſulem*, ac *Principem* ſonat. Ex quo Paulus ex Judæo Chriſtianus, & Burgenſis Epiſcopus, in additionibus ad Lyrani commentarium in Danielem, contra Judæos argumentatur, *Chriſtum Ducem* ab hoc Propheta nominatum haud alium deſignari, quam verum Meſſiam: *nullus enim ſanæ mentis*, ait, *poſſet dicere, nec etiam ipſimet Hebræi in tantam prorumperent inſaniam, quod aſſererent, ut aliquis in Sacris Scripturis principalis Meſſias dicatur, niſi ille, qui inter ceteros Chriſtos principatum tenet, vel tenebit ſecundum eos.* Ergo & in illo Iſaiæ loco, capite quinquageſimo quinto, Chriſtus ille, qui *Dux primarius*, ideſt נגיד, *ac præceptor* dandus Gentibus promittitur, haud alius eſt, quam verus, & unicus Meſſias; quod & Aben-Ezra ſummæ

inter

inter Judæos auctoritatis asseverat: ac testem ideo Messiam productum esse dicit, *quod nullus alius est* נגיד *nagbid*, idest, *Dux principalis*, *qui mundo præsit*. Paraphrastes item Chaldæus, cum sic Isaiæ verba reddit, *ecce Principem in populos constitui eum; Regem & dynastam super omnia regna;* nullum alium, præterquam magnum illum Messiam, intellexit. Ex quo ratiocinari, ac concludere debemus; præcipuas vero Messiæ eas esse partes attributas, uti Gentes ad sese, ac per se convertat ad Deum, quem adorabant Israelitæ.

Alia id genus ferme quingenta prætermitto divinarum litterarum vaticinia, quibus Gentilium vocatio, atque ad veri Dei, quem Israelitæ colebant, cultum religiosa conversio, uti primaria venturi Messiæ nota prædicitur. Legat, qui cupit, Genesim cap. 12. v. 1. & seq. cap. 22. v. 18. & 19. cap. 49. v. 10. Deuteronomium cap. 28. v. 43. secundum librum Regum cap. 22. v. 24. Psalmum 17. v. 44. Psalm. 46. v. 9. Psalm. 85. v. 9. Integrum Isaiam, maxime vero cap. 42. ad *66*. Jeremiam cap. 3. v. 17. cap. 4. v. 2. cap. 16. v. 19. & seq. Oseam cap. 1. v. 10. cap. 2. v. 24. Amosum cap. 9. v. 11. & 12. Michæam cap. 4. v. 1. & seq. Sophoniam cap. 2. v. 11. Aggæum cap. 2. v. 7. & 8. Zachariam cap. 2. v. 10. & 11. cap. 8. v. 20. & seq. cap. 9. v. 10. cap. 14. v. 16. Et demum Malachiam cap. 1. v. 10. & 11.

Messiam præterea non Judæos tantum, verum etiam Gentiles advocaturum fuisse, traditur in *Beressith rabba*, super illud Genes. 41. cap. *& dixit Pharao ad Joseph*. In Midrasch Theillim, super illud Psalm. 67. *ad cognoscendam in terra viam tuam*. In eadem Midrasch, super illud Psalm. 100. *jubilate Deo omnis terra*. In Massechoth bicurim, hoc est, in libro primitiarum: *tradiderunt magistri in nomine R. Judæ, quod gher, idest, advena*, &c. Adde Maimonidem in Jad, libro ultimo, cap. de Regibus, scribere Judæorum hanc esse sententiam, futurum ut Messiæ hortamentis excitatæ ad pœnitentiam Gentes veram legem capescant. Ex iis ergo perspicuum est, promissi Messiæ munus potissimum fuisse, ut non Judæos tantum, verum etiam Gentiles toto orbe diffusos advocaret, atque in unius religionis, & fidei professionem colligeret; quemadmodum indigitata a me Scripturarum oracula demonstrant.

Quid plura? Non modo a Sacris Vatibus prænuntiatum est, Messiam

Messiam non Judæos tantum , Gentilesque vocaturum fuisse : verum etiam idololatriam deleturum , quod est alterum positæ assertionis caput. Isaiæ cap. 2. v. 20. ביום ההוא ישליך האדם את אלילי כספו ואת אלילי זהבו *in die illa projiciet homo idola argenti sui , & idola auri sui*. cap. 17. v. 7. & 8. ביום ההוא ישעה האדם על עשהו ועיניו אל קדוש ישראל תראינה : ולא ישעה אל המזבחות מעשה ידיו ואשר עשו אצבעתיו לא יראה והאשרים והחמנים *in die illa aspiciet homo ad factorem suum , & oculi ejus ad sanctum Israel respicient. Et non aspiciet ad Altaria opus manuum ejus , & quod fecerunt digiti ejus non respiciet*, nempe , *lucos*, & *idola*. Et cap. 31. v. 7. ביום ההוא ימאסון איש אלילי כספו ואלילי זהבו אשר עשו לכם ידיכם חטא *in die illa abjiciet homo idola argenti sui , & idola auri sui, quæ fecerunt vobis manus vestræ in peccatum* . Zachariæ cap.13.v.2. והיה ביום ההוא נאם יהוה צבאות אכרית את שמות העצבים פן הארץ ולא יזכרו עוד *& erit in die illa , dicit Dominus exercituum, succidere faciam nomina idolorum de terra, & non memorabuntur amplius* . Quibus paria leguntur Isaiæ cap. 2. v. 17. cap. 19. v. 1. cap. 46. v. 1. Ezechielis cap. 30. v.13. Oseæ cap. 2. v. 16. cap. 14. v. 9. Sophoniæ cap. 1. v. 4. & seq. cap. 2. v. 11. Micheæ cap. 5. v. 12. & 13.

Messiam præterea in adventu suo conculcaturum fuisse idololatriam, etiam per veteres Talmudistas perspectum est , & præsertim in Midrasch *sir hassirim* , hoc est , in expositione Cantici Canticorum, super illud 2. cap. dictum: *vox dilecti mei: ecce iste venit saliens super montes, & saltans super colles*.

Jam vero , Adorandum nostrum Salvatorem primarium illud promissi Messiæ officium ad unguem implevisse, Gentesque idololatras ad veri Dei cultum , quem Israelitæ adorabant , partim per seipsum , partim Discipulorum ministerio , revocasse , adeo manifestum est, ut inficiari a nullo possit. Nam ante Discipulorum Jesu Nazareni prædicationem universus orbis idola colebat, exceptis Judæis, qui soli Deum verum cœli & terræ creatorem venerabantur: ex quo autem Apostoli , cæterique ipsius Jesu nostri Discipuli in universum mundum ab eo missi fuerunt , Matthæi cap. 28. v. 19. *euntes docete omnes Gentes :* Marci cap. 16. v. 15. *euntes in mundum universum prædicate Evangelium omni creaturæ*, idololatria undique abolita est , omnesque Gentes ad cognitionem unius & veri Dei pervenerunt . De ipsis nanque Jesu

Nazareni Discipulis Isaias prædixerat cap. *66.* v. *19.* ושמתי בהם אות ושלחתי מהם פליטים אל הגוים תרשיש פול ולוד משכי קשת תובל ויון האיים הרחקים אשר לא שמעו את שמעי ולא ראו את כבודי והגידו את כבודי בגוים *& ponam in eis signum, & mittam ex eis, qui evaserint ad Gentes, in Tharsis, in Africam, in Lydiam, trahentes arcum, in Italiam, & in Græciam, & ad Insulas longinquas, quæ non audierunt auditum meum, & non viderunt gloriam meam, & annuntiabunt gloriam meam in Gentibus*. Si ergo idololatria in adventu Messiæ abolenda erat, & per Jesum nostrum, ut perspicuum est, jamdiu est, ex quo deleta est, quod etiam effectus ipse manifeste demonstrat; cum omnes, tametsi sacris, ac ritibus diffidentes, Deo vivo, ac vero, fugata idololatria, thus adoleant: necessario profecto sequitur, non solum tempus adventus Messiæ jamdiu præteriisse, verum etiam Messiam ipsum am venisse, eumque non alium, quam Jesum Nazarenum fuisse.

Ac si aliqua forte est mundi pars, ubi etiam num idola colantur; hæc, novis in dies missis Evangelii prædicatoribus, eruditur, sensim vocatur ad fidem; & a profanis suis ritibus ad puram fidei professionem, eorum sanctis laboribus abducitur. Sic ut ea vocandorum Gentilium, & delendæ idololatriæ prophetia, quæ primarius Messiæ venturi character, data fuerat, & adimpleta jampridem sit, & in dies abundantius adimpleatur; donec in mundi fine ex integro compleatur: juxta Pauli Apostoli dictum 1. ad Corinth. cap. 15. v. 28. *cum autem subjecta fuerint illi omnia: tunc & ipse filius subjectus erit ei, qui subjecit sibi omnia, ut sit Deus omnia in omnibus*. Est quippe illa divinæ providentiæ lex, ut nonnisi per quosdam gradus ad finem perveniat: *attingit enim a fine usque ad finem fortiter, & disponit omnia suaviter*, Sapient. cap. 8. v. 1.

Modo quid ad hæc miseri homines? Dicent forte nonnulli, promissiones de Messia venturo Hebræis solis factas esse, non vero Gentilibus.

Ita profecto sit, ut contendunt, id tamen non officit, quominus Messias ille solis Hebræis promissus Gentibus etiam salutem esset allaturus, quemadmodum laudata jam vaticinia dilucide ostendunt. Tametsi etiam illud negare possumus, solis Hebræis promissum fuisse Messiam, quanquam peculiari certe modo fuerit illis prænuntiatus. Nonne inter Moabitas venturum Messiam prædixit

dixit Balaamus, Deo ita volente, ut inter efferas etiam Gentes Meſſias quocunque modo noſci poſſet? Oraculum refert Moſes ipſe, Numer. cap. 24. v. 17. דרך כוכב מיעקב וקם שבט מישראל ומחץ פאתי מואב וקרקר כל בני שת *procedet ſtella ex Jacob*, *& ſurget virga ex Iſrael*, *& percutiet Duces Moab*, *& deſtruet omnes filios Seth*. Quibus Meſſiam prænuntiari olim fuiſſe Judæis perſuaſum oſtendit impii illius Bencuzibæ veſania, qui Meſſiam ſe ferens hanc ſibi prædictionem accomodabat: unde & בר כוכב *Bar cocau*, ſive filius ſtellæ appellatus eſt. Idem oſtendunt Onkelos, & Jonathan, & Interpres Jeroſolymitanus, & R. Moſes Hadarſan in Bereſſith rabba. Annon inter Idumæos venturum Meſſiam vaticinatus eſt Job, cujus liber a Judæis ut ſacer agnoſcitur? Is enim velut rem aliquam magnam nuntiaturus ſic præfatur cap. 19. v. 23. & ſeq. מי יתן אפו ויכתבון מלי מי יתן בספר ויחקו : בעט ברזל ועפרת לעד בצור יחצבון *Quis dabit nunc & ſcriberentur ſermones mei? quis dabit ut ſint in libro & imprimerentur? In ſtilo ferreo, & plumbeo ut ſint in perpetuum, in petra ſculperentur*. Tum deinde præclarum hoc edit oraculum : ואני ידעתי גאלי חי ואחרון על עפר יקום : ואחר עורי נקפו זאת ומבשרי אחזה אלוה *& ego novi Redemptorem meum vivum*, *& noviſſimo ſuper pulverem ſtaturum. Et poſtquam pellem meam contriverint hanc ; & de carne mea videbo Deum*. Ex iis Meſſiam carnem aſſumpturum, & mortuos ſuſcitatum iri clare traditur in interpretatione Syriaca, & in Arabica. Ita ſumitur in Bereſſith Ketanna. Ita exponunt RR. Non ſolis ergo Judæis, verum etiam Gentilibus a divinis Vatibus promiſſus eſt Meſſias. Primas itaque partes ſibi arrogent Hebræi, quantum libuerit, quod prima, nobilioraque venturi Meſſiæ oracula exceperint; ſit ita : לא עשה כן לכל גוי ומשפטים בל ידעום *non fecit ſic* (Deus) *omni Genti*, *& judicia non cognoſcent*, Pſalm. 147. v. 20. At eminentiam alio ex capite, potiorique jure ſibi Gentes arrogabunt, quod priores venienti Meſſiæ ſint obſecutæ, ipſiſque Judæis prælatæ fuerint. Nam licet vaniſſimis ſuperſtitionibus & multiplici idolorum cultu tenerentur implicitæ Gentes, Judæi vero clariſſima divinæ & ſalubris doctrinæ luce fruerentur, hi tamen caligarunt ad præſentis & inter ipſos verſantis Meſſiæ ſplendorem; illæ Sanctis ejus ultro paruerunt præceptis, & in ipſius obſequium conceſſerunt: arcano videlicet & mirabili Dei conſilio, cujus gratiam ſatius eſt nos memori mente recolere, quam cau-

ſam anxie perſcrutari. Hinc Deuteronomii cap. 28. v. 43. & 44. legitur . הגר אשר בקרבך יעלה עליך מעלה ואתה תרד מטה מטה : הוא ילוך ואתה לא תלונו הוא יהיה לראש ואתה תהיה לזנב *peregrinus, qui in medio tui eſt, aſcendet ſuper te ſuperne ſuperne, & tu deſcendes inferne inferne. Ipſe mutuabit tibi, & tu non mutuabis ei: ipſe erit in caput, & tu eris in caudam*. Et Ezechielis cap. 17. v. 24. אני יהוה השפלתי עץ גבה הגבהתי עץ שפל הובשתי עץ לח והפרחתי עץ יבש *ego Dominus humiliavi lignum ſublime, & exaltavi lignum humile, & ſiccavi lignum viride, & florere feci lignum aridum*. Quod de Judæis, ac Gentibus dictum nemo neſcit.

Atque hæc Gentium vocatio, & Hebræorum rejectio, perſpicuis deſignata eſt ſymbolis in lege Moſaica. Utramque in Abrahami filiis, uno Agare ancilla nato, altero Sara libera, expreſſam Paulus in Epiſtola ad Galatas cap. 4. v. 22. & ſeq. accurate expoſuit: & Judæi quidem filii ſunt Synagogæ, quæ legi ſubdita eſt, in ejuſque obſequium mancipata; nos vero filii cœleſtis Jeroſolymæ, Eccleſiæ videlicet, quæ libera eſt, *qua libertate Chriſtus nos liberavit*. Quod ſignificatum quoque eſſe docet Paulus præclaro illo Iſaiæ Oraculo cap. 54. v. 1. *lætare ſterilis, quæ non paris: erumpe, & clama, quæ non parturis: quia multi filii deſertæ, magis quam ejus, quæ habet virum*. Synagogæ etiam & Eccleſiæ in Phenenna & Anna, uxoribus Elcanæ, accurata conſtat effigies. Phenenna complurium filiorum mater Annæ ſterilitatem ſuam exprobrabat: at hæc precibus tandem ſuis exorato Deo, ſancta & felici ſobole aucta eſt. Quæ cum ob ſuſceptam prolem Deo ageret gratias, cœleſti commota afflatu has edidit voces: *nolite multiplicare loqui ſublimia gloriantes: recedant vetera de ore veſtro . . . . . Arcus fortium ſuperatus eſt, & infirmi accincti ſunt robore . . . . . Donec ſterilis peperit plurimos; & quæ multos habebat filios, infirmata eſt . . . . . Dominus judicabit fines terræ, & dabit imperium Regi ſuo, & ſublimabit cornu Chriſti ſui*, lib. 1. Regum cap. 2. v. 3. & ſeq. Quæ verba, futuram Gentilium per Meſſiam adoptionem, Hebræorum vero rejectionem manifeſte prædicunt.

Illud ſane primario Dei conſilio fuerat definitum, ut Hebræis primum Evangelium ſalutis manifeſtaretur. Hinc Jeſus noſter, Matthæi cap. 15. v. 24. ſe miſſum ſolum faſſus eſt, *ad oves, quæ perierunt domus Iſrael*. Ac tum Apoſtolos fidei ſatores mittens,

Mat-

Matthæi cap. 10. v. 5. *in viam Gentium*, ait, *ne abieritis*, *& in civitates Samaritanorum ne intraveritis: sed potius ite ad oves*, *quæ perierunt domus Israel*. Verum Hebræis salutis viam rejicientibus, in eorum sortem Gentes ingressæ sunt. Quod in Actis Apostolicis perspicue declararunt Paulus, & Barnabas cap. 13. v. 46. & sequent. *vobis oportebat primum loqui verbum Dei: sed quoniam repellitis illud*, *& indignos vos judicatis æternæ vitæ*, *ecce convertimur ad Gentes. Sic enim præcepit nobis Dominus: posui te in lucem Gentium*, *ut sis in salutem usque ad extremum terræ. Audientes autem Gentes gavisæ sunt*, *& glorificabant verbum Domini*.

Reponunt alii, nequicquam gloriari Christianos, Gentiles ad verum Deum, quem Israelitæ colebant conversos esse Jesu Nazareni ætate, ejusque Discipulis prædicantibus; cum inter Christianos ex Gentibus majori ex parte coalescentes, tot hæreses, tot schismata, tot sectæ comperiantur; a quibus Catholici ipsi abhorrent. Non igitur, ajunt, veri Dei cultus universum per orbem diffusus est: siquidem nec una toto mundo Christiana religio floret.

Quam sit momentum hoc futile, nemo non videt. Primo namque, ut erudite, sapienterque animadvertit insignis quidam Theologus in quacumque Christianorum secta, quocumque in schismate, unus verus, depulsa idololatria, adoratur Deus: quod adveniente Messia futurum, sacri Vates prædixere: stat ergo vel ex hoc solo capite, quod hactenus argumentum profecuti sumus. Dicant tamen obsecro, ait ille, (quandoquidem de Christianæ religionis veritate cavillantur) nunquid vera inter Judæos religio fuit olim? Sane non id negabunt, qui veram etiamnum religionem apud suos extare volunt. At nonne quo tempore apud Judæos religio vigebat maxime, sectis, & schismatibus scindebantur? Numerabantur quippe Samaritani, Sadducæi, Pharisæi, Herodiani, aliique non pauci, doctrina, & ritibus inter sese, non minus dissidentes, quam inter Christianos, Ariani, Nestoriani, Eutychiani, Pelagiani, Calvinistæ, & Lutherani. Quorsum vero tot inter sectas vera nihilominus stabat Judæorum religio? Causas Judæi complures assignant, nobis perinde ad solvendam difficultatem istam accomodas. Primam, quia, inquiunt, in quacumque Judæorum secta, quocumque in schismate, unus & verus Deus colebatur. Præclare: at adoramus & nos unicum, verumque, quotquot Christiani nuncupamur, tametsi sectis, & hæresibus dicindamur. Secundam afferunt

runt causam, quia omnes illi Mosem, uti legislatorem agnoscebant, ejusque libros amplectebantur; tametsi a nonnullis falsis interpretationibus inquinatos. Et id perbelle: at agnoscimus & nos omnes Jesum Nazarenum, uti Messiam cœlo demissum, ejusque Evangelium, tametsi a nonnullis prava interpretatione vitiatum, excipimus. Tertiam causam addunt, quia religionis Judaicæ orthodoxia, & puritas in primo stipite, unde cæteri omnes spurii palmites pullularunt, intacta perstabat; nihilque primæ originis sanctitati officiebant cœnosi rivuli derivati. Hoc & nos usurpamus: Christianæ religionis orthodoxia, & puritas, nobis Catholicis & Romanis, uti primo stipiti, unde tot illæ sectæ derivarunt, integra hæret: nec quidquam Christiani nominis sanctitati officiunt tot illæ sectæ, quibus quotidie scindimur. Aut ergo nullam apud sese religionem fuisse miseri viri dicant, quo tempore tot illis schismatibus scindebantur; aut veram apud Christianos tot inter hæreses religionem florere posse fateantur.



DIS-



DISSERTATIO SEXTA.



Essias divinis promissus oraculis, legem novam abrogata veteri sanciturus erat; novumque Sacerdotii genus institurus.

Veterem legem tanta solemnitate a Deo Optimo Maximo Mosi traditam, a Jesu nostro abrogatam non sine indignatione queruntur Judæi. Hinc colligunt cæci homines, Adorandum nostrum Salvatorem neutiquam uti verum Messiam habendum, sed uti falsum prorsus, imo verius hominum seductorem, divinæque institutioni prorsus injurium: aliumque idcirco Messiam a Prophetis prædictum expectari a fidelibus oportere, qui abrogatam Mosaicam legem renovet, majoremque in lucem, & solemnitatem inducat.

Nos ad illorum inscitiam, cæcitatemque convincendam duo ista demonstrare conabimur: primum, veterem legem non ut in perpetuum permaneret a Mose traditam fuisse; sed ut aliquando desineret, eique præstantior altera succederet: alterum, quod præcedentis consectarium erit, Leviticum legis Mosaicæ Sacerdotium, tametsi divinitus institutum, definito solum tempore fuisse duraturum, finemque sub Messiæ temporibus habiturum. Quod utrumque selectis, ac præcipuis Scripturæ locis adstruemus. Non enim universa persequi; ac ne longius quidem in paucis illis, quæ proponemus, explicandis immorari decrevimus. Et ita fiet, ut opposita consecutione colligamus, Adorandum nostrum Salvatorem idcirco maxime veri Messiæ nomine dignum esse, quod legem veterem rescinderit, novamque induxerit; quodque Leviticum Sacerdo-

cerdotium consummarit, novumque Sacerdotii, ac Sacrificii genus condiderit. Age nunc rem agamus, & ad positæ assertionis probationes accedamus.

Et quippe, fœdus novum, pactum novum adveniente Messia a Deo cum hominibus ineundum, tam crebris, tamque dilucidis Sacrarum Scripturarum oraculis prænuntiatur, ut mirari omnino subeat, Judæos eo in capite cæcutiisse. Deuteronomii cap. 18. v. 15. נביא מקרבך מאחיך כמני יקים לך יהוה אלהיך אליו תשמעון *Prophetam de medio tui, de fratribus tuis, sicut ego sum, suscitabit tibi Dominus Deus tuus: ei obedietis*. Et v. 18. & 19. נביא אקים להם מקרב אחיהם כמוך ונתתי דברי בפיו ודבר אליהם את כל אשר אצונו : והיה האיש אשר לא ישמע אל דברי אשר ידבר בשמי אנכי אדרש מעמו *Prophetam suscitabo eis de medio fratrum eorum sicut tu: & ponam verba mea in ore ejus, & loquetur ad eos omnia; quæ ego præcepero ei. Et erit vir qui non obedierit verbis meis, quæ loquetur nomine meo; ego requiram ab eo*. Hunc futurum ait Moses, sicut seipsum; Prophetam scilicet, legislatorem, mediatorem, populique Dei caput: cum autem ex Deuter. cap. 34. v. 10. ולא קם נביא עוד בישראל במשה אשר ידעו יהוה פנים אל פנים *non surrexerit Propheta ultra in Israel, sicut Moses, quem nosset eum Dominus facie ad faciem*, sequitur, Prophetam isthic a Deo promissum esse non posse, nisi Messiam, qui in seipso qualitates omnes complexus est, quibus adeo celebris extitit Moses, in quo quidquid in sanctis, veterisque Testamenti Prophetis sanctius, gloriosiusque emicuit, eminenter illuxit. Hinc Judæi Jesu Christi coævi hic Mosem de Messia loqui minime dubitarunt; quam opinionem veluti sententiam vulgo receptam Apostoli arbitrantur. Divus Petrus in concione in Templo Jerosolymitano post restitutam claudo sanitatem, primum habita, Actuum cap. 3. v. 22. non veretur asserere in Jesu fuisse tandem completum, quod olim Moses illis promiserat, futurum nempe, ut *Prophetam suscitaret vobis Dominus de fratribus vestris, tanquam me*. Hunc eundem locum de Jesu Christo intelligit D. Stephanus Actuum cap. 7. v. 37. Quod profecto Discipuli isti non fecissent, nisi id jam vulgata, & tralatitia persuasione creditum Judæis esse scissent.

Hoc autem veritatis nostræ fidei in Jesu Christo testimonium nobis eripere Judæi frustra conantur. Eorum majores Apostolici ævi, ut jam adnotavimus, ad hujus loci sensum in controversiam

vocan-

vocandum, nondum animum intenderant. Fatebantur quidem, hunc textum Meſſiam reſpicere; ſed illius ætatis increduli Jeſum non eſſe hunc Meſſiam propugnabant. Recentiores Hebræi ulterius progrediuntur: quidam, quorum Princeps Aben-Ezra, Joſuam Moſis ſucceſſorem deſignatum iſtic volunt; alii Jeremiam, qui populum iiſdem, quibus Moſes, verbis, & argumentis adhortabatur; alii Davidem, vel quempiam alium Prophetam deſignatum fuiſſe contendunt.

Sed quiſnam igitur eſt hic Propheta, Moſi ſimilis; qui ut Moſes audiri debeat, qui mediator ſit, populi Dei legislator, uti fuit Moſes? Nonne ipſi Judæi fatentur nullum Prophetam ei ſimilem in Iſrael viſum fuiſſe? Verum etiamſi fateremur a Moſe iſtic fuiſſe deſignatum Joſuam, vel alium Principem, aut Prophetam, vel etiam omnes ſimul Prophetas, poſſent ne Judæi inficiari, deſignatum proinde etiam Jeſum Chriſtum fuiſſe, cum dubio procul fuerit non ſolum verus legislator, & Propheta, ſed etiam Prophetarum maximus, & qui in ſe uno complexus eſt, quidquid excellentius Scriptura de Principibus aliis, cæteriſque Iſraelitici populi Prophetis enuntiavit? Etſi Judæi Jeſum Chriſtum Meſſiam eſſe denegantes poſſent excuſari; excuſandi tamen non ſunt, ipſum ſaltem ut legislatorem, & Prophetam minime agnoſcentes, cum omnes veri legislatoris, verique Prophetæ notæ, in illum congruant.

Jeremiæ cap. 31. v. 31. & ſeq. הנה ימים באים נאם יהוה וכרתי
את בית ישראל ואת בית יהודה ברית חדשה : לא כברית אשר כרתי
את אבותם ביום החזיקי בידם להוציאם מארץ מצרים אשר המה הפרו
את בריתי ואנכי בעלתי בם נאם יהוה : כי זאת הברית אשר אכרת את
בית ישראל אחרי הימים ההם נאם יהוה נתתי את תורתי בקרבם ועל
לבם אכתבנה והייתי להם לאלהים והמה יהיו לי לעם *ecce dies venient dicit Dominus, & feriam domui Iſrael, & domui Juda fœdus novum. Non ſecundum pactum quod pepigi cum patribus eorum, in die qua apprehendi manum eorum, ut educerem eos de terra Ægypti: quia ipſi irritum fecerunt pactum meum, & ego dominatus ſum eorum, dicit Dominus. Sed hoc erit pactum, quod feriam cum domo Iſrael poſt dies illos, dicit Dominus: dabo legem meam in medio eorum, & in corde eorum ſcribam eam: & ero eis in Deum, & ipſi erunt mihi in populum.* Dominus ecce per Prophetam veteris pacti mutationem, & alterius, novique ſubſtitutionem aperte pollicetur. Non igitur perenne debuit eſſe pactum prius, ſed ſub inſtitutionem poſterioris antiquari.

Iſaiæ capite ſecundo v. 2. & ſequent. והיה באחרית הימים נכון יהיה הר בית יהוה בראש ההרים ונשא מגבעות ונהרו אליו כל הגוים : והלכו עמים רבים ואמרו לכו ונעלה אל הר יהוה אל בית אלהי יעקב וירנו מדרכיו ונלכה בארחתיו כי מציון תצא תורה ודבר יהוה מירושלם *& erit in noviſſimis diebus*, inquit Iſaias, *præparatus mons domus Domini in vertice montium, & elevabitur ſuper colles, & fluent ad eum omnes Gentes. Et ibunt populi multi, & dicent: venite aſcendamus ad montem Domini, & ad domum Dei Jacob, & docebit nos vias ſuas, & ambulabimus in ſemitis ejus: quia de Sion exibit lex, & verbum Domini de Jeruſalem*. Quæ iiſdem ferme verbis legere eſt Micheæ cap. 4. v. 2. & ſeq. Hoc autem de lege Moſis non poteſt intelligi, quippe lex Moſis fluere non poterat ad omnes Gentes, cum eſſet propria Judæorum; itaque de nova lege Meſſiæ locus eſt intelligendus, quæ per Apoſtolos, alioſque ejus Diſcipulos, a Jeruſalem ad Gentes egreſſa eſt. Meſſias nanque ipſe Dei filius ſecundum divinitatem, & ſapientia Patris, deſcendens de Altiſſimis, & a ſede magnitudinis ſuæ, pro humani generis redemptione & ſalute, miſſus a Patre, venit ad Sion & Jeruſalem, ibique legem ſuam novam, ideſt, Evangelium complevit, docendo, admonendo, ſuadendo, arguendo, miracula edendo, patiendo, moriendo, reſurgendo, ad cœlos aſcendendo, & Spiritum Sanctum Apoſtolis mittendo. Tunc igitur dictum hoc propheticum impletum eſt, cum Apoſtoli poſt Spiritus Sancti receptionem, primum legem Evangelicam Jeroſolymis promulgarunt, poſtea inde exeuntes eam ubique terrarum univerſis Gentibus nuntiarunt.

Perſpicuum, quam ſe miſeri Judæi iſtic torqueant, ut ab iis Jeremiæ, Iſaiæ, & Micheæ oraculis liberent ſeſe. R. David Kimchius ad illum Jeremiæ locum obſervat, non aliam legem denuntiare ſacrum Vatem, quam Moſaicam: ſed hujus dumtaxat obſignationem in cordibus Judæorum; ut eam non violent amplius. Cujus dicti ſui teſtem citat Malachiam poſtremum Prophetarum, qui velut ſigillum Prophetis addidit: & in calce prophetiæ ſuæ legem Moſaicam commendavit his verbis, cap. 4. v. 4. זכרו תורה משה עבדי אשר צויתי אותו בחרב על כל ישראל חקים ומשפטים *mementote legis Moſis ſervi mei, quam mandavi ei in Horeb ad omnem Iſrael, ſtatuta, & judicia*. Ex quo concludit Kimchius, nullam aliam legem expectandam eſſe; quod vero Jeremias *novum pactum*,

pactum, seu *fœdus novum* nominat, legem non esse diversam; sed prioris commendationem. Isaiam vero, & Michæam, legem de Sion, seu de Jerosolymis prodituram dixisse contendunt nonnulli, quatenus in monte Sina a Deo primum Mosi tradita, tum Jerosolymam perlata, inde demum velut e publica schola propagata est.

Sed R. Davidis Kimchi figmentum aperte refellunt ipsa verba Jeremiæ, quibus non solum pollicetur Deus futurum, ut *novum fœdus* paciscatur cum Israelitis, sed fœdus etiam illud novum veteri opponit; ipsumque adeo vetus excludit, utpote quod ab Israelitis violatum, & solutum sit: *feriam*, inquit, *domui Israel*, & *domui Juda fœdus novum. Non secundum pactum quod pepigi cum patribus eorum*, *in die qua apprehendi manum eorum*, *ut educerem eos de terra Ægypti: quia ipsi irritum fecerunt pactum meum*, & *ego dominatus sum eorum*, *dicit Dominus*. Præterea, hoc inane esse R. Davidis Kimchi perfugium ex eodem Malachia vincimus: qui in primo capite testificatur, Judaica esse sacra olim abroganda, & in meliora mutanda: אין לי חפץ בכם אמר יהוה צבאות ומנחה לא ארצה מידכם *non est mihi voluntas in vobis dicit Dominus exercituum* (ait v. 10.) & *munus non suscipiam de manu vestra*. Tum vero quando ista contingent, alterum ubique terrarum Sacrificium, & ab ipsis etiam Gentibus offerendum esse prædicit. Non igitur veteris instaurationem pacti; sed hujus abrogationem, & novi institutionem uterque Propheta denuntiat.

At futile est etiam quod David Kimchius de Malachia observat, qui cum Prophetarum clausula sit, legem Mosaicam revocare jubet in memoriam. Non enim postrema illa prophetiæ ipsius ad idem tempus referri debent, ad quod alter capitis primi locus pertinet. Imo disjuncta illorum esse tempora satis ex eo constat, quod in primo capite, sacrificia, & reliquas adeo legis veteris cœremonias olim minime sibi placituras, hoc est, mutandas, & amovendas esse dicit: in illis vero quarti capitis verbis, ejusdem illius legis memores ut sint hortatur. Nimirum, quod ita Mosaicam legem abolendam esse, vel commutandam admonet, ut hanc nihilominus quamdiu manet, ac suum tempus implet, observari jubeat.

At erit forte qui dicat, Deum cap. 4. Malachiæ Mosaicæ legis observantiam inculcasse, usque ad extremum mundi diem:

post enim verba illa modo laudata, *mementote legis Mosis servi mei*, illico subjicit: הנה אנכי שלח לכם את אליה הנביא לפני בוא יום יהוה הגדול והנורא *ecce ego mittam vobis Eliam Prophetam, antequam veniat dies Domini magnus, & terribilis.*

Verum non est ita, ut inquit, non est ita. Aliud quippe est dicere, *servate* seu *custodite legem Mosis servi mei*: & aliud *mementote legis Mosis servi mei*. Primum enim indicat observantiam præceptorum legis ad quam requiritur facere ea, quæ in lege præcipiuntur, & vitare ea, quæ in ipsa lege prohibentur: secundum vero indicat legis memoriam recolendam, ad quam non requiritur observantia, seu custodia præceptorum, sed sat est habere memoriam legis in mente ad ejus spiritualem intelligentiam percipiendam: quæ duo Hebræi solent accurate distinguere. Unde isthic Deus ad spiritualem intelligentiam legis per ejus memoriam invitat, non autem ad ejus observantiam hortatur. Si enim ad observantiam legalium, judicialium, & cæremonialium perpetuo, & usque ad extremum mundi diem hortaretur, profecto dixisset, *servate* seu *custodite legem Mosis servi mei*, quod non dixit: sed, *mementote legis Mosis servi mei*. Ex quibus clarum est, Malachiæ oraculum potius Judæis adversari, quam favere: sufficit quidem post Messiæ primum adventum memoria Judicialium, legalium, & cæremonialium legis, sine eorum observantia.

Neque magis nos anxios, & solicitos habet, quod Judæorum aliqui curiosius observant, Jeremiam de *novo fœdere*, seu *pacto* locutum fuisse, non de lege nova sancienda: quam ob causam Hebraica dictione ברית *Berith*, non dictione תורה *Tora* sit usus. Non, inquam, observationes istæ nos anxios, ac sollicitos habent. Sciunt enim linguæ Hebraicæ periti, idem omnino significare *Tora*, quod *Berith*: uti sane divinarum litterarum usu idem lex significat, ac fœdus, & pactum: propterea quod data, receptaque lege, Deus, & homo mutuo paciscantur; iste quidem observantiam promittens, Deus remunerationem spondens. Maxime cum in antithesi posita illic ab Jeremia inter pactum novum, & pactum vetus utrobique dictio *Berith* usurpetur; certoque certius sit, nomine pacti veteris nonnisi Mosaicam legem intelligi. Unde etiam Exodi cap. 19. v. 5. cap. 34. v. 27. & 28. & Deuteronomii cap. 29. v. 1. ubi de Mosaica lege sub nomine, pacti, seu fœderis in nostra Versione sermo fit, dictio *Berith* in textu Hebraico reperitur.

Alte-

Alterum ex oraculis Isaiæ, & Micheæ sumptum argumentum, de Mosaica nimirum lege in monte Sina, a Deo primum Mosi tradita, tum Jerosolymam perlata, inde demum velut e publica schola propagata futilitatis plenum est. Sit quidquid volunt, hoc semper verissimum erit, hic legem promitti ad omnes gentes emanaturam. Itaque patet novam illic promitti legem a Sacris Vatibus ad cujus observantiam gentiles quoque obligarentur: repugnat autem veterem legem ab omnibus gentilibus observari: tum quod multa illius mandata, extra terram promissam observari nequeant: tum quod mandatorum aliqua ad Judæos a cæteris Gentibus distinguendos fuerint primitus instituta, ut ipsimet fatentur Hebræi. Quod enim Judæos distinguit a Gentibus, commune esse non potest Judæis, & Gentibus.

Rursus, fœdus novum, pactum novum adveniente Messia a Deo cum hominibus ineundum, illudque non temporarium, sed æternum, alia non pauca Scripturæ loca prænuntiant. Isaiæ cap. 55. v. 3. & 4. הטו אזנכם ולכו אלי שמעו ותחי נפשכם ואכרתה לכם ברית עולם חסדי דוד הנאמנים : הן עד לאומים נתתיו נגיד ומצוה לאמים *inclinate aurem vestram, & venite ad me; audite, & vivet anima vestra: & feriam vobiscum pactum sempiternum, misericordias David fideles. En testem populis dedi eum, Ducem, & præceptorem populis*. Tum postea cap. 61. v. 8. ונתתי פעלתם באמת וברית עולם אכרות להם *& dabo opus eorum in veritate, & fœdus sempiternum feriam cum eis*. Jeremiæ cap. 32. v. 40. וכרתי להם ברית עולם אשר לא אשוב מאחריהם להיטיבי אותם ואת יראתי אתן בלבבם לבלתי סור מעלי *& feriam cum eis pactum sempiternum, quia non revertar a tergo eorum, ut benefaciam eis: & timorem meum dabo in corde eorum, ut non recedant a me*. Ezechielis cap. 15. v. 62. והקימותי אני את בריתי אתך וידעת כי אני יהוה *& statuam ego pactum meum tecum, & scies quia ego Dominus*. Oseæ cap. 2. v. 18. וכרתי להם ברית ביום ההוא . . . . . וארשתיך לי לעולם *& percutiam cum eis fœdus in die illa . . . . . Et sponsabo te mihi in sempiternum*. Et alia id genus pene sexcenta, quæ commemorare longum esset; quæque Dei fœdus, non qualecumque, & cum solis Hebræis, sed æternum, atque cum universis Gentilibus ineundum, prædixerunt, ut supra etiam observavimus.

Nunc

Nunc quid ad hæc Judæi. Nonnulli pactum, seu legem, adveniente Messia sanciendam sponte fatentur, non tamen novam, & ab ea distinctam, quam Deus Mosi tradidit.

Verum eos objurgat paulo ante laudatus Jeremias cap.31.v.31. & seq. atque adeo clare, adeo manifeste, ut omnem omnino cavillationem tollat: *ecce dies venient dicit Dominus, & feriam domui Israel, & domui Juda fœdus novum. Non secundum pactum, quod pepigi cum patribus eorum, in die qua apprehendi manum eorum, ut educerem eos de terra Ægypti: quia ipsi irritum fecerunt pactum meum, & ego dominatus sum eorum, dicit Dominus. Sed hoc erit pactum, quod feriam cum domo Israel post dies illos, dicit Dominus: dabo legem meam in medio eorum, & in corde eorum scribam eam: & ero eis in Deum, & ipsi erunt mihi in populum*. Ecce igitur legem novam Messiæ ætate sanciendam; legem, Mosaicæ Judaico populo ex Ægypto egresso traditæ valde dissimilem; legem non in tabulis lapideis scriptam, sed cordibus insculptam; legem non servitutis, sed amoris. Nullum igitur exitum habent, nullam latebram Judæi; sed fateantur necesse est, veterem legem adventante Messia abrogari, & in novam commutari debuisse: frustraque Messiam alterum expectari, qui abrogatam illam instauret.

Stant igitur undecunque invictæ probationes, quibus primam statutæ assertionis partem demonstravimus: veterem legem non ut in perpetuum permaneret a Mose traditam fuisse, sed ut aliquando defineret, eique præstantior altera succederet. De cætero, Leviticum legis Mosaicæ sacerdotium, tametsi divinitus institutum, definito solum tempore fuisse duraturum, finemque sub Messiæ temporibus habiturum, (quod membrum statutæ assertionis est alterum) ex superiori demonstrato capite, consequi arbitror. Cum id non ob aliud Judæi inficientur, quam quod Mosaicam legem nequaquam abrogandam esse existiment. Nonnulla ad causæ cumulum addam Prophetarum Oracula, quæ aliorum bene plurium instar erunt: נדמו עמי מבלי הדעת כי אתה הדעת מאסת ואמאסאך מכהן לי ותשכח תורת אלהיך אשכח בניך גם אני *conticuit populus meus*, inquit Deus Oseæ cap. 4. v. 6., *eo quod non habuerit scientiam; quia tu scientiam repulisti, repellam te ne Sacerdotio fungaris mihi: & oblitus es legis Dei tui, oblivifcar filiorum tuorum etiam ego*. Ezechielis cap. 34. v. 10. כה אמר אדני יהוה הנני

הנני אל הרעים ודרשתי את צאני מידם והשבתים מרעות צאן ולא ירעו עוד הרעים אותם והצלתי צאני מפיהם ולא תהיין להם לאכלה *Sic dicit Dominus Deus: ecce ego ad paſtores, & requiram gregem meum de manu eorum, & ceſſare faciam eos, ne paſcant gregem, & non paſcent amplius paſtores ſemetipſos: & eruam gregem meum de ore eorum, & non erunt eis in eſcam*. Iſaiæ cap. 66. v. 18. & ſeq. ſic inquit Deus: ואנכי מעשיהם ומחשבתיהם באה לקבץ את כל הגוים והלשנות ובאו וראו את כבדי : ושמתי בהם אות ושלחתי מהם פליטים אל הגוים תרשיש פול ולוד משכי קשת תובל ויון האיים הרחקים אשר לא שמעו את שמעי ולא ראו את כבודי והגידו את כבודי בגוים . . . . . וגם מהם אקח לכהנים ללוים אמר יהוה *& ego viſitabo opera eorum, & cogitationes eorum quando veniet tempus ut congregem omnes Gentes, & linguas; & venient, & videbunt gloriam meam. Et ponam in eis ſignum, & mittam ex eis, qui evaſerint ad Gentes, in Tharſis, in Africam, in Lydiam, trahentes arcum, in Italiam, in Græciam, & ad Inſulas longinquas, quæ non audierunt auditum meum, & non viderunt gloriam meam, & annuntiabunt gloriam meam in Gentibus . . . . . Et etiam ex eis aſſumam in Sacerdotes, & Levitas, dicit Dominus*. En novæ legis Sacerdotium aperte deſignatum, ejecta e familia Levi hac dignitate. Nulla amplius erit ſanguinis diſtinctio, nullæ amplius ſeminis Aaronis prærogativæ. Eliget ſibi Dominus ex his advenis ad fidem converſis, & ad Eccleſiam evocatis viros dignos, qui Sacerdotium ſuum exerceant.

Judæi torquentur quærentes huic loco ſenſum, qui vetus Sacerdotium nequaquam antiquet. Inquiunt verbis illis, *& etiam aſſumam ex eis*, deſignari Sacerdotes, & Levitas, qui diſperſi fuerant, & qui de captivitate redierunt. Hæc diſperſio, hoc exilium, hæc longinquitas nihilum eorum dignitati obſuerunt; iterum Sacerdotii ſui jura adepti ſunt. Vertunt alii, aſſumam ex illis miniſtros, qui Sacerdotibus ſerviant; ſed hæc verſio omnino textui adverſatur; & ſermonis decurſus palam oſtendit, hic de Gentibus agi ad Domini fidem evocatis, atque in eius Eccleſiam adductis. Denique Iſaias iſtic loquitur de novæ legis Sacerdotio, non quidem de Sacerdotio illo antonomaſtice Chriſtianis omnibus conceſſo: *Vos autem genus electum, regale Sacerdotium*, Epiſt. prim. Petri cap. 2. v. 9. ſed de reali, veraque Sacerdotii dignitate, quoniam ex fidelium numero eligit, atque educit Sacerdotes hos

de

de quibus loquitur. Volente itaque Domino abrogatum est Aaronicum Sacerdotium, ex quo ad Gentes translatum est. Illud enim ita Leviticæ Tribui assertum erat, ut si quis forte alia stirpe genitus thuribulo manum admoveret, capite plecteretur, Numer. cap. 16. v. 40. למען אשר לא יקרב איש זר אשר לא מזרע אהרן הוא להקטיר קטרת לפני יהוה ולא יהיה כקרח וכעדתו כאשר דבר יהוה ביד משה לו *ne quis accedat vir alienus, qui non est de semine Aaron, ad offerendum incensum Domino; ne patiatur, sicut passus est Core, & congregatio ejus, quemadmodum locutus est Dominus per manum Mosis*. Isaiæ cap. 19. v. 19. & seq. ביום ההוא יהיה מזבח ליהוה בתוך ארץ מצרים ומצבה אצל גבולה ליהוה : והיה לאות ולעד ליהוה צבאות בארץ מצרים כי יצעקו אל יהוה מפני לחצים וישלח להם מושיע ורב והצילם : ונודע יהוה למצרים וידעו מצרים את יהוה ביום ההוא ועבדו זבח ומנחה ונדרו נדר ליהוה ושלמו *in die illa erit Altare Domino in medio terræ Ægypti: & titulus juxta terminum ejus Domino. Et erit in signum, & in testem Domino exercituum in terra Ægypti: nam clamabunt ad Dominum a facie opprimentium, & mittet eis servatorem, & magnatem, & liberabit eos. Et cognoscetur Dominus ab Ægypto, & cognoscent Ægyptii Dominum in die illa, & facient sacrificium, & oblationem, & vovebunt votum Domino, & solvent*. Si nefas erat Judæis Aras Domino extruere alibi, quam Jerosolymæ, quomodo nam pollicetur istic Propheta populo suo tanquam insigne aliquod munus, futurum ut in medio Ægypti Altare Domino dicatum assurgat? Ara hæc, juxta religionis Judaicæ documenta, ab illis polluta, ac impia erat habenda, quoniam contra Domini mandatum erecta, ni supponas, Dominum eam extrui jussisse: vel saltem hac prophetia comprobasse. Fatendum igitur est, tandem sub Christiana religione legitimas, licitasque in Ægypto Aras extructas fuisse; atque tum ibi, tum ubique gentium, puro, perfectoque cultu Dominum fuisse adoratùm. Christiani quippe tunc prophetiam istam adimpletam videbant juxta rei, ac litteræ vim in religione Christiana, quæ in Ægypto late florebat.

Apertius vero Malachiæ cap. 1. v. 10. & 11. אין לי חפץ בכם אמר יהוה צבאות ומנחה לא ארצה מידכם : כי ממזרח שמש ועד מבואו גדול שמי בגוים ובכל מקום מקטר מגש לשמי ומנחה טהורה כי גדול שמי בגוים אמר יהוה צבאות *non est mihi voluntas in vobis, dixit Dominus exercituum, & munus non suscipiam de manu vestra*. .

vestra. Nam ab ortu solis, & usque ad occasum ejus magnum nomen meum inter Gentes, & in omni loco suffimentum offertur nomini meo, & oblatio munda: quia magnum est nomen meum in Gentibus, dicit Dominus exercituum. En duo insignia pro veritate nostræ religionis argumenta, manifesta adeo, ut nihil validius afferri queat. Alterum, Sacrificiorum, rituumque veteris legis abrogatio; alterum, Sacrificium omnino mundum, in Dei nomine ubique gentium oblatum. Synagoga reprobata; Gentilium Ecclesia electa; antiquarum victimarum ad salutem inutilitas; Novi Testamenti Sacrificium unice Domino acceptum, Ecclesiæ in omnes Gentes, & usque in extremas terrarum plagas extensio: hæc omnia probatissima sunt religionis nostræ argumenta, ab infensissimis etiam fidei inimicis observata, qui summo discruciantur dolore videntes hæc in nobis expleta, & qui præ ea, qua rumpuntur invidia, nequicquam ingratum laborem ægre trahunt, ut ambages vestigent, quibus eorum vim elidant, eorumque perspicuitati caliginem offundant. Sacrificium purum, & immaculatum, quod veteres omnes figuræ rudi ratione, & symbolice repræsentarunt, illud est, quod in Aris nostris quotidie, ubique, ac pluries in singulos dies instauratur; Sacrificium nempe, quo Jesus noster de Crucis Ara semet obtulit Patri, & in quo non taurorum, aut vitulorum maculis a Mose definitis carentium sanguinem offerimus, sed Carnem, & Sanguinem Christi, hostiam semper puram, semper acceptabilem, seu mundus, seu immundus sit Sacerdos cum populo, non enim puritatem suam ab offerente mutuatur, neque ulla potest immunditia fœdari. Væ tamen hostiam hanc vel indigne offerentibus, vel manibus, aut ore scelerum macie pollutis illam sumentibus. Licet munda ea sit, eos non mundabit, sed ignis erit, qui illos absumet, eisque inferet mortem. Hebraica vox, quæ istic vertitur oblatio munda, proprie significat oblationes frugum, farinæ, panis, vini, quæ in Ara Domini fiebant, ad indigitandam quodammodo magis adhuc explicite materiam Sacrificii Corporis, & Sanguinis Jesu Christi, panem videlicet, & vinum. Jure ergo Christiani, testimonio hoc, sic tanquam validissimo telo, adversus Judæos dimicant.

Accedit alterum observatione dignissimum: non solum a Prophetis prædictum esse, fore ut Deus Hebræorum sacrificia rejiceret, sed

M etiam

etiam priscas illas oblationes, & sacrificia omnino desitura interfecto Messia: ne ultra cavillari Judæi valeant. Danielis cap. 9. v. 26. ואחרי השבעים ששים ושנים יכרת משיח . . . . . וחצי השבוע ישבית זבח ומנחה *& post hebdomadas sexaginta duas occidetur Christus . . . . . Et dimidia hebdomada cessare faciet sacrificium, & oblationem*. Ubi est ergo illa Levitici sacrificii jactata perennitas, ab ipsomet Messia in Jerosolymorum Templo religiose retinenda? Cum potius occiso Christo sacrificia penitus cessatura sint.

Et certe, si, ut jam demonstravimus, Messias Sacris Oraculis prænuntiatus, non Judæos tantum, ut ipsi autumant, verum etiam Gentiles toto orbe diffusos vocaturus erat, & in fidei, religionisque societatem adducturus: quomodo quæso fieri posset, ut eo sacrificio staret Messiæ religio, quod in uno Salomonis Templo, atque a solis Judæis offerendum erat? Qua lege, qua forte universi orbis Gentes in hoc unum Salomonis Templum convenissent, statisque temporibus confluxissent ad legis Mosaicæ sacra peragenda, quæ alio in loco sine sacrilegio celebrari non poterant. Aliud igitur institui sacrificium necesse erat, quod quolibet in loco, & qualibet die, & ab omnibus populis offerri commode posset. Veri igitur Messiæ debitas partes implevit Adorandus noster Salvator, dum Sacrificium Aaronicum abrogavit, alterumque instituit. Sic enim erat a divinis Vatibus prædictum.

Quam sit evidens, & ad Judaicam frangendam audaciam idoneum paulo ante laudatum Malachiæ Oraculum, vel hinc argumentari licet, quod ad vim illius declinandam, quia verisimile nihil excogitare poterant, multa dissentanea, & absurda commenti sunt Judæorum magistri.

Imprimis enim R. Salomon Jarchi in commentario ad Malachiam, ex majorum suorum sententia sic exponit: *magnum esse nomen suum in Gentibus*, Dominum idcirco dicere, quod etsi Gentes Deos adorent plurimos, sciunt tamen, ac profitentur unum esse summum, qui omnibus præsit, & antecellat: qui quidem Israelitarum est Deus. Eadem interpretatio Davidi Kimchio placuit: nempe quod licet Gentes militiam cœli, hoc est sidera, tanquam Deos venerentur, unum tamen supremum numen venerantur, & appellant *Deum Deorum*, quod Deo Israelitarum longe est gratissimum.

Ea vero expositio quam absurda sit, & commentitia, constat ex

ex eo, quod stultissimum sit, immo impium, affirmare, Gentiles eo quod supremum Deum una cum idolis suis, ac minoribus Diis venerentur, unum illum, ac summum demereri Deum: & hunc illorum profanum utique cultum *appellare mundam oblationem*: cum primo legis divinæ mandato penitus adversetur; in quo Deus zelotem se esse professus, vetat *Deos alienos haberi coram se*: nec non adorari, colique sculptilia, & effigies rerum omnium, quæ in cœlo sunt, hoc est siderum, ac rerum deinde ceterarum. Præterea, Gentes idolorum cultui addictæ obscuram habent summi Dei, ac fere nullam notitiam, neque ulla ipsi sacrificia offerunt. Id ergo quodcunque honoris est, impiis cæremoniis, ac nefario cultu idolis exhibito, tot, ut modo diximus, veri Dei sanctionibus vetito conjunctum, videant quo jure, quave ratione mundam oblationem appellare queant.

Impia quidem hæc est, & absona expositio; falsa vero, & ad arbitrium conficta altera, quam proponit idem Jarchi, Deum nempe significare sibi jucundissimas esse Judæorum, qui inter Gentes dispersi versantur, preces, ac laudes, quibus numen suum venerantur, licet nullum sacrificium, victimam nullam offerant. Quæ cum Prophetæ verbis pugnant ex adverso; quippe honores a Gentibus sibi habitos Deus opponit cultui a Judæis præstito, & manifestis verbis affirmat sibi ab his sacrificari: id enim significant hæc verba: *munus non suscipiam de manu vestra*.

Aliam præterea prophetiæ hujus interpretationem, haud minus ineptam, proponunt David Kimchi, & Aben-Ezra hanc nimirum: si Gentibus imperassem, uti munus mihi aliquod, & sacrificium offerrent, purum illud, & exquisitum deligerent: non ut vos facitis o Judæi, qui despectas hostias, & inutiles, ac languidas offertis: quod paulo ante populo suo exprobraverat. Atque non lege aliqua, seu conditione propositio hæc expressa cernitur; sed simplex; nec id fore, aut fieri posse, sed esse reipsa, ac fieri dixit Deus.

Uno verbo, omnes hæ interpretationes ex ipso contextu sermonis, & Prophetæ scopo refelluntur: qui duo illa comparat inter se religiosi cultus, oblationisque genera: unum quo Israelitæ Deum colebant: alterum, quod Gentes ejusdem in Dei cultum, & obsequium præstabunt: non alio profecto tempore, quam quo illius notitiam perceperint; cujus nonnisi Messiæ adventu, ac be-

neficio compotes fore per universum orbem nationes omnes, Scripturæ Sacræ testantur: uti dissertatione quinta abunde demonstravimus. Quocirca frigida sunt inventa omnia Rabbinorum, & interpretamenta, quæ ad eludendam divini verbi auctoritatem prophetico illi affingunt oraculo.

At erunt forte, qui nobis objiciant: nunquid ab ipso Deo Sacrificii, & Sacerdotii Levitici promissa est perennitas? Jeremiæ cap. 33. v. 17. & seq. כי כה אמר יהוה לא יכרת לדוד איש ישב על
כסא בית ישראל : ולכהנים הלוים לא יכרת איש מלפני מעלה עלה
ומקטיר מנחה ועשה זבח כל הימים : ויהי דבר יהוה אל ירמיהו לאמור:
כה אמר יהוה אם תפרו את בריתי היום ואת בריתי הלילה ולכלתי
היות יומם ולילה בעתם : גם בריתי תפר את דוד עבדי מהיות לו
בן מלך על כסאו ואת הלוים הכהנים משרתי : אשר לא יספר צבא
השמים ולא ימד חול הים כן ארבה את זרע דוד עבדי ואת הלוים
משרתי אתי *quia sic dixit Dominus: non excidetur de David vir, qui sedeat super solium domus Israel. Et de Sacerdotibus, & de Levitis non excidetur vir a facie mea, offerens holocaustum, & adolens oblationem, & faciens sacrificium omnibus diebus. Et factum est verbum Domini ad Jeremiam dicens: sic dixit Dominus: si irritare potestis pactum meum diei, & pactum meum noctis, ut non sit dies, & nox in tempore sua: etiam pactum meum irritari poterit cum Davide servo meo, ut non sit filius regnans super thronum ejus, & cum Levitis Sacerdotibus ministris meis. Quemadmodum non potest numerari exercitus cælorum, nec mensurari potest arena maris: sic multiplicabo semen David servi mei, & Levitas ministrantes mihi.* Quomodo ergo fieri potuit, ut & Sacrificii, & Sacerdotii Levitici abolitio certus Messiæ venturi character esset? Quove jure, tituloque utrumque abrogavit Jesus a Nazareth, ut alterum Sacerdotii, & Sacrificii genus institueret?

Difficultatem hanc, respondet eruditus quidam vir, a Judæis perinde solvi necesse esse. Si enim, inquam, ait ille, Sacrificii, & Sacerdotii Levitici promissa a Deo perennitas est, cur illi ab annis amplius mille septingentis utroque perinde sunt destituti? Nec satisfacient, si forte dicant, utrumque a suo illo, quem frustra expectant, Messia restitutum iri. Quamvis enim res ita esset, ex quo tamen per annos amplius mille septingentos utrumque cessavit, ac desiit; absoluta, quam illi fingunt, Dei promissio

missio falsa est; quia nimirum promisit futurum esse, ut de Sacerdotibus & Levitis non excideret vir a facie ejus, qui offerret holocaustum, & adoleret oblationem, & faceret sacrificium omnibus diebus. At quam solvere difficultatem miseri viri nequeunt, solvimus longe facillime, ac novum inde statuti dogmatis argumentum petimus. Dicimus itaque duo simul, eodemque plane modo spopondisse Deum, laudato Jeremiæ vaticinio: non excisum iri de David virum, qui sedeat super solium domus Israel; & non excisum iri de Sacerdotibus, & Levitis virum, qui offerat holocaustum, & adoleat oblationem, & faciat sacrificium; seu, non defuturum Israeliticum sceptrum de Domo David, & Sacerdotium de Domo Levi. Porro ex aliis Scripturæ Sacræ locis, quibus perinde promissa est Judaici sceptri perennitas, perspicuum est, non esse promissam Judaici sceptri perennitatem absolutam, sed certis limitibus circumscriptam, donec scilicet promissus Judæis Messias mundo illucesceret. Geneseos cap. 49. v. 10. *non recedet sceptrum de Juda, & legislator de medio pedum ejus, donec veniat Scilob.* Itaque pari modo, non absoluta Sacrificii, & Sacerdotii perennitas Synagogæ a Deo promissa est, sed iisdem plane circumscripta terminis, donec nimirum, Messias oriretur. Quare cum sublatum jam, & Sacrificium, & Sacerdotium Leviticum nemo non videat; ipsique etiam Hebræi, velint, nolint, plus satis experiantur, promissum Hebræis Messiam mundo illuxisse necesse est. Addiderim, prosequitur idem doctissimus vir, si quis forte absolutam prorsus Sacrificii, & Sacerdotii Levitici perennitatem Synagogæ promissam velit; non alio sensu id verum esse, quam quo absolutam quoque Judaici sceptri perennitatem promissam aliqui autumant: nempe, uti temporale Judæ sceptrum in spirituale transmutatum perennat in Christo, de quo Angelus ad Mariam dixit Lucæ cap. 1. v. 32. *dabit illi Dominus Deus sedem David patris ejus, & regnabit in domo Jacob in æternum, & regni ejus non erit finis:* ita typicum, & temporarium Levi Sacerdotium in amplius, perfectius, sanctiusque trasmutatum æternum in Christo manet; de quo Paulus in Epistola ad Hebræos cap. 7. v. 23. *& alii quidem plures facti sunt Sacerdotes, idcirco quod morte probiberentur permanere: hic autem, eo quod maneat in æternum, sempiternum habet Sacerdotium.*

Nunc

Nunc quid adversus primam partem assertionis nostræ Judæi? Nonnulli reponunt: si bona lex Mosis, cur a Jesu Nazareno abrogata? Neque enim satis intelligi posse, inquiunt, qua forte, quo fato, instituta Dei, Deo ipso volente, abrogari aliquando debuerint; quasi is instabilium, ac levium hominum more consilia mutet.

Quibus respondemus, bonam quidem legem Mosaicam fuisse, sed tempore determinato, donec altera succederet. Bonam, sed instar typi & figuræ, atque ita revelata veritate abrogandam. Bonam, sed instar Symboli Messiam repræsentantis, atque ita veniente Messia implendam, & abolendam. Neque iccirco Deus, quo volente abrogata fuit, instabilium, ac levium hominum more, consilia mutasse existimandus est: quia & illam, eo animo, eoque consilio instituerat primum, ut definito solum tempore duraret, & consummata tandem, Messiæ ætate desineret: adeoque non mutata est, sed adimpleta Dei voluntas. Quemadmodum certe dum Deus serpentem æneum, quem a Mose conflari præceperat in deserto, ab Ezechia Rege frangi voluit, lib. 4. Regum, cap. 18. v. 4. consilia non immutavit; quia non eo animo, eoque consilio serpentem æneum conflari voluerit, ut æternum duraret, sed ut ea solum urgente necessitate laboranti populo mederetur.

Reponunt rursus alii: Jesus Nazarenus, ne falsus Propheta, falsusque Messias agnosceretur, non semel protestatus est, non venisse se legem solvere, sed adimplere: *nolite putare*, inquit Matthæi cap. 5. v. 17. & seq. *quoniam veni solvere legem, aut Prophetas; non veni solvere, sed adimplere. Amen quippe dico vobis, donec transeat cœlum, & terra, jota unum, aut unus apex non præteribit a lege, donec omnia fiant. Qui ergo solverit unum de mandatis istis minimis, & docuerit sic homines, minimus vocabitur in regno cœlorum: qui autem fecerit, & docuerit, hic magnus vocabitur in regno cœlorum.* Tantum abest ergo, inquiunt, ut Jesus Mosaicam legem antiquaverit, ut id ne fieret, diserte caverit: quod videlicet probe sciret, legem Mosis *æternam* divinis in litteris sæpe dici; cui ut nihil addi, ita nihil ex ea detrahi possit: Deuteronomii cap. 4. v. 2. לא תספו על הרבר אשר אנכי מצבה אתכם ולא תגרעו ממנו לשמר את מצות יהוה אלהיכם אשר אנכי מצבה אתכם *non addetis ad verbum quod ego præcipio vobis, & non*

non auferetis ex eo, ut custodiatis præcepta Domini Dei vestri, quæ ego præcipio vobis.

Verum quidem dicunt, respondet insignis quidam Theologus, Jesum nostrum legem Mosaicam totam adimplevisse: ex hoc tamen nullatenus inferre possunt, eam, in quibus cessatura erat, non cessasse. Ut igitur omnibus perspectum sit quomodo legem ipsam ac Prophetas adimpleverit, animadvertendum est, ait ille perdoctus vir, quod in eadem lege, & Prophetis quinque præcipue continebantur, scilicet moralia, judicialia, cæremonialia, promissa; & Sacramentalia. Moralia quidem decem sunt præcepta Decalogi, sine quibus salus nequit esse adultis. Hæc autem adveniente Messia, desinere non debebant, sed perfici. Ideo Jesus noster verus Messias, ut ea perficeret, non solum actum prohibuit homicidii, aliorumque malorum operum, verum & animum quoque. *Audistis*, inquit Matthæi cap. 5. v. 21. & 22. *quia dictum est antiquis, non occides: qui autem occiderit, reus erit judicio. Ego autem dico vobis; quia omnis, qui irascitur fratri suo reus erit judicio: qui autem dixerit fratri suo, racha, reus erit concilio, qui autem dixerit, fatue, reus erit gehennæ ignis:* cum reliquis, quæ sequuntur: Eam ob rem & ipse ea servavit, & alios ad servandum induxit: unde Matthæi cap. 19. v. 17. *si vis*, inquit, *ad vitam ingredi, serva mandata*. Judicialia vero sunt, ut illa, de quibus Deuteronomii cap. 19. v. 21. dicitur: *oculum pro oculo, dentem pro dente, manum pro manu, pedem pro pede exiges*. Quæ cum ætate Messiæ male a Scribis exponerentur, & exequutioni mandarentur: sapientissime Christus ibi nec falsi damnavit, & Scribarum in exponendis iis licentiam abstulit. Cæremonialia autem erant omnia Sacrificia, & ea quæ circa ipsa fiebant, ut circumcisio, & neomeniæ, & fimbriæ, & phylacteria, atque cætera multa id genus. Quæ quoniam figuræ erant eorum, quæ in Messia, & a Messia fieri debebant, idcirco ipso adveniente finem habitura erant. Ipse tamen Jesus noster verus Messias ea perfecte adimplevit: primum ipsa ad litteram, usque ad tempus eorum cessationis determinatum servando: deinde per se & per suos ea ad sensum spiritualem ac mysticum reducendo. Promissa vero erant adventus Messiæ, Gentium vocatio, peccatorum remissio, & æterna salus. Hæc etiam Adorandus noster Salvator perfecte implevit, carnem sumendo ex purissima Virgine,

ne, nascendo, miracula soli Deo possibilia propria virtute edendo, patiendo, moriendo, resurgendo, ad cœlos videntibus multis ascendendo, ac longe meliora, quam lex Mosaica promittebat, promittendo. Lex quippe ipsa eam custodientibus bona dumtaxat temporalia atque terrena in suo quidem cortice pollicebatur, quæ tamen spiritualia, atque æterna designabant. Jesus autem noster promisit custodientibus legem suam spiritualia, atque æterna, quæ lex illa vetus figurabat. Dixit enim Matthæi cap. 19. v. 29. *omnis qui reliquerit domum, vel fratres, aut sorores, aut patrem, aut matrem, aut uxorem, aut filios, aut agros propter nomen meum, centuplum accipiet, & vitam æternam possidebit*. Et Lucæ cap. 6. v. 20. *beati pauperes*, inquit, *quia vestrum est regnum Dei*. Ob eam causam, ut dicitur Matthæi cap. 4. v. 17. *cœpit Jesus prædicare, & dicere: pœnitentiam agite, appropinquavit enim regnum cœlorum*. Sacramentalia denique fuerunt agnus Paschalis, vitula rufa, vitulus immaculatus, & reliqua hujus generis: quæ passionis Messiæ figura, & umbra erant: idcirco eo adveniente, cujus typum gerebant desinere omnino debuerunt. Hæc autem Christus ipse patiendo, & moriendo adimplevit. Qua de causa Evangelistæ, cum narrant dicta, facta, & passiones Domini nostri Jesu Christi, sæpenumero illud annotant, *ut adimpleretur quod dictum fuerat per Prophetas*. Ex iis igitur liquet, quomodo & quare Jesus noster legem, Prophetasque adimpleverit. Prophetas quidem, omnia, quæ de eo prædixerant, complendo: legem vero eam observando, gratiam nobis impertiendo, figuras omnes ad veteris legis significationem in seipso, & in Ecclesia exprimendo, quæ tacite tantum in lege continebantur, quique verus esset legis sensus, demonstrando. Ideo dixit: *non veni solvere legem, aut Prophetas, sed adimplere*. Ex quibus etiam perspicuum est, quod etsi Jesus noster legem Mosaicam eo modo, quo diximus, adimpleverit, non tamen ex hoc sequitur, ipsam in iis, quæ in ejus adventu cessatura erant, eo adveniente, non cessasse. Hinc merito Judæos his verbis castigat Paulus Epist. 2. ad Corinth. cap. 3. v. 14. & seq. *Obtusi sunt sensus eorum: usque in hodiernum enim diem idipsum velamen in lectione veteris Testamenti manet non revelatum, quoniam in Christo evacuatur: sed usque in hodiernum diem, cum legitur Moyses, velamen positum est super cor eorum. Cum autem conversus fuerit ad Dominum, auferetur velamen*.

Nihil

Nihil autem facit ad rem teſtimonium e Deuteronomio deſumptum: nam monemur hoc præcepto, ne legem vel addendo, vel detrahendo reſcindere audeamus. Sibi vero eam penitus abrogandi jus Deus non detrahit. Non enim dicitur: *non addatur verbum, neque auferatur ab eo quod ego præcipio vobis: ſed non addetis, neque auferetis ex eo*, ſcilicet vos Judæi, quibus loquor. Secus eſt de Deo, qui ſemper eſt liber, & poteſt ſemper addere ad verbum per ipſum datum, vel ab eo auferre. Privatos igitur Judæos, ac totam etiam Synagogam aſtringit latum in Deuteronomio interdictum, ne quidquam verbo Dei addatur, vel detrahatur ex eo; non Deum ipſum, qui abolita lege Moſaica Evangelicam inſtituit: maxime cum nec ſic quidem verbum, quod Moſi locutus fuerat, reipſa reſciderit, ſed impleverit; typoſque præceptis cæremonialibus, aliiſque expreſſos allata tandem veritate compleverit, conſummarit.

Nihilo felicius argutantur Judæi aliqui recentiores, ac veteres, qui majori ira & odio ſuccenſi, contra nos legis teſtimonia adducunt, quæ ipſius legis Moſaicæ perennitatem oſtendere videntur. Primumque illud Deuteronomii cap.29.v.29. ſcriptum in medium afferunt: הנסתרת ליהוה אלהינו והנגלת לנו ולבנינו עד עולם לעשות את כל דברי התורה הזאת *quæ abſcondita ſunt Domino Deo noſtro, & revelata nobis, & filiis noſtris, uſque in ſæculum, ut faciamus omnia verba legis hujus*. Ex quo univerſam legem perpetuo duraturam inferunt. Deinde, locum Geneſeos cap.17. v.12. & 13. adducunt, ubi Deus circumciſionis ritum Abrahamo præcipiens ita loquitur: ..... ובן שמנת ימים ימול לכם כל זכר לדרתיכם : והיתה בריתי בבשרכם לברית עולם *& filius octo dierum circumcidetur vobis omnis maſculus in generationibus veſtris..... Et erit fœdus meum in carne veſtra in pactum æternum*. Quantum vero ad ſabbatum, illud Exodi cap. 31. v. 16. & 17. dictum afferunt: ושמרו בני ישראל את השבת לעשות את השבת לדרתם ברית עולם: ביני ובין בני ישראל אות הוא לעלם *& cuſtodient filii Iſrael ſabbatum, ad faciendum ſabbatum in generationibus ſuis pacto ſempiterno. Inter me, & inter filios Iſrael ſignum eſt æternum*. Quantum denique ad feſtum Paſchæ, illud nobis opponunt, quod Exodi cap.12. v.14. ſcriptum eſt: והיה היום הזה לכם לזכרון וחגתם אתו חג ליהוה לדרתיכם חקת עולם תחגהו. *& erit dies iſte vobis ad memoriam, & celebrabitis eum feſtum Domino, in generationibus veſtris ſtatuto perpetuo*. Rurſus ibidem v.17. ושמרתם את היום הזה לדרתיכם חקת עולם *& cuſtodietis diem hunc in generationibus veſtris ſtatuto æterno*. His atque ſimilibus oſtendere conantur Hebræi, legem Moſaicam perpetuo duraturam, ac nunquam reſcindendam eſſe.

Verum quantum illos ea opinio fallat, ostendit R. David Kimchi quem maximi faciunt Judæi. Is enim in libro *Serassim*, ideſt, radicum, animadvertit, vocabulum illud *æternum* expreſſum Hebraica dictione עולם *olam*, uti eſt in laudatis locis, non ſemper æternitatem temporis, ſed ſæpe diuturnitatem: non ſemper infinitum tempus, ſed ſæpe indefinitum, quandoque etiam finitum notare: ut Geneſeos cap. 17. v. 8. de terra Canaan dictum eſt: ונתתי לך ולזרעך אחריך את ארץ מגריך את כל ארץ כנען לאחזת עולם *& dabo tibi, & ſemini tuo poſt te terram peregrinationum tuarum, omnem terram Canaan in poſſeſſionem æternam*, per dictionem Hebraicam עולם *olam*: quæ tamen jamdiu a Judæis non poſſidetur. Et Deuteronomii cap. 15. v. 17. de ſervo, qui anno ſeptimo egredi noluerit, dicitur: ולקחת את המרצע ונתתה באזנו ובדלת והיה לך עבד עולם *& aſſumes ſubulam, & pones eam in aure ejus, & in janua, & erit tibi ſervus in æternum*, per verbum Hebraicum עולם *olam*: qui tamen recurrente anno jubilæi a ſervitute ſolutus erat, ut habetur in Levitico cap. 25. v. 10. Et alia id genus pene ſexcenta, quæ commemorare longum eſſet. Ac tunc tantum dictionem עולם *olam æternum* diuturnitatem omni fine carentem neceſſario ſonare, dum voce נצח *nezac*, vel סלה *ſela*, vel עד *bad* in Hebraico textu expreſſa eſt. Quod optime declarat laudatus R. Kimchius, eodem in libro *Seraſſim*, cum ait: ſcriptum eſt Pſalmo 84. יהללוך סלה *laudabunt te ſela*, ideſt, *in ſempiternum. Expoſuerunt enim hanc dictionem* סלה *ſela* עד, *bad*, ideſt, *in ſempiternum. Ita quoque in verbis Magiſtrorum noſtrorum traditio eſt ex domo R. Elazar, quod omnis locus in quo ponitur* נצח *nezac*, סלה *ſela*, ועד *vabed*, *non habet intermiſſionem, ſed in ſæculum & in ſæcula ſæculorum ſignificat. Nezac ſicut ſcriptum eſt Iſaiæ cap.* 57. ולא לנצח אקצוף *& non ad nezac*, ideſt, *in æternum*, vel *in ſempiternum iraſcar. Sela vero, ſicut ſcriptum eſt Pſalm.* 48. יכוננה עד עולם סלה *rectificabit*, vel *componet*, vel *ordinabit eam uſque in ſæculum ſela*, ideſt, *in ſæculum ſempiternum*, vel *ſemper. Vabed autem*, ſicut ſcriptum eſt Exodi cap. 15. יהוה ימלך לעולם ועד *Deus regnabit in ſæculum vabed, hoc eſt, in æternum, vel ſempiternum*. Hæc R. Kimchi. Cum nulla igitur harum dictionum in lege ponatur, ubi de circumciſione, de ſabbato, de Paſchate, de ſacrificiis, deque cæteris cæremonialibus, ſit mentio, ſed dumtaxat עולם *olam*, ut viſum eſt, jam eſt manifeſtum cæremonialia

illa

illa non fuisse in æternum ad litteram servanda, sed ad tempus determinatum, videlicet usque ad Messiæ adventum. Perperam itaque absolutam legis Mosaicæ perennitatem ex laudatis testimoniis Judæi colligunt.

Si alicui forsitan responsum istud non arrideat, istud alterum sibi habeat: legem divinis in Scripturis æternam dictam esse, non utique ratione finis: aut certe non ratione typi in ea contenti; sed ratione antitypi, & figurati. Nisi forte legem veterem æternam dicere malit aliquis quoad præcepta moralia, tametsi, quoad alia præcepta temporalem.

Inquient forte: sabbati observatio inter decem præcepta moralia connumeratur; est enim tertium in ordine inter Decalogi præcepta: cum igitur Decalogi præcepta sint ab omnibus observanda, sequitur plane, sabbatum ab omnibus observari debere.

Non est tamen difficile momentum hoc refellere. Præceptum quippe sabbati partim morale est, partim cæremoniale. Morale est, & ad naturæ legem pertinet, quatenus certum aliquod tempus Dei cultui cum interno, tum externo destinari edicit atque consecrari. Cæremoniale est, & ad legem Mosaicam pertinet, quatenus diem septimam hujusmodi cultui addicit, in eoque otiari jubet. Sabbatum enim requies interpretatur: quare ad illius observantiam satis est, quod aliqua septima dies observetur. Morale est, quatenus Deo gratias agere præcipit ob collata hominum generi universo beneficia, præcipue vero creationis, & in Deo quiescere præcipit. Cæremoniale est, quatenus ad recolendum singulare aliquod beneficium Judæorum nationi collatum, otium sabbati institutum est: וזכרת כי עבד היית בארץ מצרים ויצאך יהוה אלהיך משם ביד הזקה ובזרע נטויה על כן צוך יהוה אלהיך לעשות את יום השבת *memento quod servus fuisti in terra Ægypti, & eduxit te Dominus Deus tuus inde in manu forti, & in brachio extento: idcirco præcepit tibi Dominus Deus tuus, ut faceres diem sabbati*, Deuteronomii cap. 5. v. 15. Quatenus morale est, Christianos etiam obligat; quatenus cæremoniale, Christi passione, & resurrectione abrogatum est, & in Dominicam diem ab Apostolis commutatum, quæ non solum creationis mundi, sed præcipue resurrectionis Christi memoriæ dicata est, qui nos a Dæmonis, & peccati servitute redemit, cujus redemptionis illa ex Ægypto redemptio typus tantum & umbra fuerat: quæ aliquando rescindenda

 erat,


erat, ut vaticinatus est Jeremias cap. 16. v. 14. הנה ימים באים נאם יהוה ולא יאמר עוד חי יהוה אשר העלה את בני ישראל מארץ מצרים *ecce dies venient, dixit Dominus, & non dicetur ultra vivit Dominus, qui ascendere fecit filios Israel de Terra Ægypti*. Quod quidem oraculum non potest intelligi de tempore liberationis a captivitate Babylonica, ut aliqui perperam autumant; nam in Templo secundo celebrabatur solemnitas Paschalis in memoriam exitus de Ægypto, ut ultro fatentur Judæi: sed intelligendum est de tempore Messiæ, in quo Israel liberandus erat a longe majori servitute, quam a servitute Ægyptiaca, nimirum, ut diximus, a servitute Dæmonis, & peccati. Cum igitur, ex dictis, sabbatum quatenus præceptum cæremoniale celebraretur a Judæis in memoriam exitus de Ægypto, quæ quidem memoria, ut prædixit Jeremias loco laudato, rescindenda erat tempore Messiæ: idcirco merito abrogatum fuit, & in Dominicam diem commutatum.

Sed opprimamus Judæos auctoritate Magistrorum suorum. Est in Talmudis libro *Sanhedrin* cap. undecimo, ab Elia traditum fuisse, ut alibi observavimus, sex annorum millibus definitam esse mundi diuturnitatem, quorum duo millia priora futura sint sine lege; sequentibus duobus millibus vigeat lex; quibus succedat, & per duo postrema millia servetur Messiæ doctrina. Unde perspicuum est post duo annorum millia abrogandam esse legem Mosis. Est & in Midrasch coheleth, idest, in expositione libri Ecclesiastis, *legem quam homo discit in hoc sæculo, vanitatem esse præ lege Messiæ*. Et denique apud R. Simeonem in Jalkut, Deum per Messiam novam legem esse daturum.

Sacrificium quoque juge, aliaque sacrificia omnia abolitum iri, præter laudis Sacrificium, legitur in Midrasch libri Numerorum, & apud Josephum Jabetz. Legitur illic etiam sabbatum ab eo solvi posse, qui Dei præcepta tradit hominibus. Unde fateri eos opus est, jure de se Jesum nostrum prædicasse, filium hominis dominum esse sabbati, Matthæi cap. 12. v. 8. Traditur libro eodem sublatum iri ciborum discrimina veniente Messia: quod & in Beresith rabba expresse scriptum est. Sed & Midrasch Theillim scriptum habet, Sacerdotii dignitatem ab Israelitis propter peccata ablatam, & ad Gentes fuisse translatam. Addam hic etiam, hujusce temporis Hebræos palam fateri, jam

nullos

nullos sibi superesse Sacerdotes; multos quidem Levitico genere se prognatos ferre, sed legitimis instrumentis genus suum comprobare non posse; proindeque etiamsi suum sibi restitueretur Templum, se haudquaquam sacrificaturos, ut qui non habent כהן *Choen*, Sacerdotem; oraturos tantum, unumque sibi laudis Sacrificium esse concessum.



DIS-



DISSERTATIO SEPTIMA.



Essias Prophetarum vaticiniis prænuntiatus, non Jerusalem, & Salomonicum Templum instauraturus erat; ut illic veteri ritu Judæi sacrificia offerrent, & in solum Avitum patrum suorum secundum carnem feliciter, beateque vitam degerent; sed Templum spiritale toto mundo diffusum, Ecclesiam dico, ubi in spiritu, & veritate adoratur Deus.

A suo, quem Judæi adhuc venturum sperant, Messia, hoc est, ipsissimo Antichristo, tria inter alia potissimum expectant. Primum, se ex omnibus mundi regionibus, ubi extorres & dispersi detinentur, colligendos, & congregandos tandem per suum Messiam, atque reducendos in Judæam Avitum solum. Secundum, Jerusalem, & Templum cum sacrificiis Mosaicis, & cætero legis ornatu, & sane apparatu magnificentiori, quam unquam antea fuere, denuo instauranda. Tertium, regnaturos ibi felicissime cum suo Messia, atque in omni copia, & rerum omnium bonarum affluentia, quæ ad voluptates & delicias corporeas attinent, victuros; subactis, ac sub imperium missis cunctis nationibus: fixo ac stabilito in Jerusalem regno sempiterno. Hoc sibi venturi Messiæ criterium fabricati sunt viri miseri, hanc promissi liberatoris notam posuere, ad cujus normam ejusdem agnitionem præfracte exigunt. Eoque jacto fundamento, Adorandum nostrum Salvatorem eo maxime titulo, Messiam esse inficiantur, quod nihil ejusmodi quidquam Hebræi ejus tempore experti sint: minusque Messiæ officio functum fabulantur, a cujus ætate extorres, & profugi ubi-

ubique terrarum vagantur, & errant; quos tamen a promisso sibi liberatore colligendos Sacri Vates prædixerunt. Quid ergo nos in præsentia agere oporteat, ut Judaicam hallucinationem refellamus; Jesumque nostrum ex hoc ipso principio, verum esse Messiam, demonstremus, unde illi præfracte diffitentur? Hoc unum ex opposito demonstrandum incumbit: omnem omnino excitandæ Jerosolymæ, & instaurandi Salomonici Templi fiduciam Hebræis ereptam esse; frustraque illos Messiam alterum expectare, qui istud miseræ, ac profugæ nationi officium præstet. Ita fiet, ut opposita consecutione colligamus, Jesum nostrum, idcirco maxime veri Messiæ nomine dignum esse, quod Salomonicum Templum, urbemque Jerosolymam non instaurarit; ac Judæos ubique gentium vagantes non reduxerit in Judæam Avitum patrum suorum solum.

Amplam nobis probationum copiam subministrant Jeremias, Isaias, Amosus, Danielque: hi sane omnem, & excitandæ Jerosolymæ, & instaurandi Salomonici Templi fiduciam Judæis eripiunt. Jeremiæ namque cap. decimonono v. 11. sic legitur: כה אמר יהוה צבאות ככה אשבר את העם הזה ואת העיר הזאת כאשר ישבר את כלי היוצר אשר לא יוכל להרפה עוד *sic dixit Dominus exercituum: sic conteram populum istum, & civitatem istam, sicut conteritur vas figuli, quod non potest ultra curari*, sive *instaurari*. Hoc quippe oraculum non potest referri ad ullam priorum calamitatum, quas Judæi ante Jesu Nazareni adventum perpessi sunt: siquidem post illas omnes captivitates, & libertas, & civitas, & Templum, & imperium restituta sunt Judæis. Veritas igitur oraculi, cogit fateri illud esse intelligendum de ea calamitate, quam Judæi post mortem veri Messiæ perpessuri erant. Isaiæ cap. 25. v. 1. & sequent. יהוה אלהי אתה ארוממך אודה שמך כי עשית פלא עצות מרחק אמונה אמן: כי שמת מעיר לגל קריה בצורה למפלה ארמון זרים מעיר לעולם לא יבנה: על כן יכבדוך עם עז קרית גוים עריצים ייראוך *Domine Deus meus es tu, exaltabo te, confitebor nomini tuo, quoniam fecisti mirabilia: consilia a longe vera, firma. Quia posuisti civitatem in tumulum, urbem munitam in ruinam, palatium alienorum; ut non sit civitas: in sempiternum non reædificabitur. Ideo glorificabit te populus fortis: civitas Gentium fortium timebit te*. Sic Isaias Deum alloquens. Nec eget hoc vaticinium interpretatione, adeo manifestum & validum est ad redarguendos Judæos, & confirmandum

dum id quod probandum suscepimus. Laudat enim sacer Vates justitiam Dei ob Messiæ parricidium, Judæos sempiterna urbis Jerusalem desolatione, vindicantis; qua etiam de re, populum fortem, ideſt, Ecclesiam Gentilium, Dei misericordiam celebraturum esse confirmat, quod posthabitis Judæis, suam ad Gentes benevolentiam, gratiam, & munificentiam convertisset, atque contulisset. Amos cap. 5. v. 1. & 2. שמעו את הדבר הזה אשר אנכי נשא עליכם קינה בית ישראל : נפלה לא תוסף קום בתולת ישראל נטשה על אדמתה אין מקימה *audite verbum hoc, quod ego levo super vos lamentum domus Israel. Cecidit, non addet ut resurgat virgo Israel: projecta est super terram suam, non est qui suscitet eam.* Danielis cap. 9. v. 26. & 27. והעיר והקדש ישחית עם נגיד הבא וקצו בשטף ועד קץ מלחמה נחרצת שממות : והגביר ברית לרבים שבוע אחד וחצי השבוע ישבית זבח ומנחה ועל כנף שקוצים משמם ועד כלה ונחרצה תתך על שומם *& civitatem, & sanctuarium dissipabit populus Ducis venturi, & finis ejus in inundatione, & usque ad finem belli decisæ sunt desolationes. Et corroborabit pactum multis hebdomada una: & dimidia hebdomada cessare faciet Sacrificium, & oblationem, & super extensionem abominationum admirari faciet, & usque ad consummationem, & decisionem effundet se super admirantem, seu desolatum.* Ubi est igitur inepta illa urbis Jerosolymæ, ac ipsius maxime Salomonici Templi tandem aliquando per Messiam excitandi fiducia miseræ Hebræorum Genti a Rabbinis suis tam secure facta? Sic certe simplicium credulitati illudendum, ut id tandem instauratum iri jactitetur, quod non *ultra instaurandum* vaticinatus est Jeremias: *in sempiternum non reædificandum* Isaias: *non erigendum, nec suscitandum* Amosus: *perpetua* denique, atque *ad consummationem*, seu *ad finem usque duratura desolatione dissipandum* Daniel prædixit.

Hujusmodi autem vaticiniorum veritatem fuisse in Jesu nostro perfectissime adimpletam, exitus belli, quod quadraginta circiter annos post illius mortem, Romani Vespasiano, & Tito Ducibus gessere cum Judæis, manifeste comprobavit. Ab illo enim tempore populum Judaicum maximis contritum malis, patriisque sedibus exterminatum, ubique misere vexari, atque in probro, & derisu esse apud omnes Gentes videmus; sine ulla penitus spe evadendi unquam a tantis miseriis: nam si in tanto præteriti temporis spatio, hoc est, mille septingentorum, & eo plus annorum,

quo

quo Judæi sæpe florentiores ac potentiores fuere, nec præsentibus malis, liberari, nec priora bona recuperare potuerunt, multo minus verisimile est id eos posthac facturos, cum in dies eorum vires magis magisque minuantur, ac debilitentur.

Ad cujus rei confirmationem non parum facit, quod Judæi superioribus sæculis sæpe tentarunt, maximisque studiis, opibus, & conatibus aggressi sunt instaurare Salomonicum Templum a Tito, & Vespasiano solo æquatum, & pristinum imperium repetere, nec tamen quicquam potuerunt proficere, sed omnia eorum studia, conatusque in cassum ceciderunt. Primum namque cum ad instaurandum Templum sese comparassent sub Hadriano Imperatore, tum sub Constantino, a militibus fuerunt prohibiti, manusque quamprimum retraxere; sed id tertium Juliani Apostatæ gratia, auctoritate, & auxilio attentantes vis divina prodigiose compressit; nam incæptum opus motu primum terræ deturbatum est, deinde e fundamentis erumpentes flammæ Judæos rei auctores invasere. Christianorum Scriptorum ætatis illius, & proxime sequentis vix ullus rem pressit silentio. Adiri præcipue velim Joannem Chrysostomum homilia 4. in Matthæum, & homilia 41. in Acta, & sermone secundo in Judæos, Gregorium Nazianzenum orat. 4. Theodoretum hist. Eccles. lib. 3. cap. 20. Socratem pariter lib. 3. cap. 20. Sozomenum lib. 5. cap. 22. Ambrosium epist. 29. ad Theodosium, Rufinum hist. lib. 1. cap. 38. & 39. Sulpitium Severum hist. lib. 2. & Cassiodorum historiæ tripartitæ lib. 6. cap. 43. Quodque omnem dubitationem tollit, Ammianus Marcellinus, scriptor Ethnicus, minime vanus, Christiani nominis professus hostis, quique sub Juliano stipendia meruit, portentum illud testificatione confirmavit sua. Is quippe lib. 23. rerum gestarum de Juliano Apostata ita scribit: *imperii sui memoriam magnitudine operum gestiens propagare, ambitiosum quondam apud Jerosolyma Templum, quod post multa, & internecina certamina, obsidente Vespasiano, posteaque Tito, ægre est expugnatum, instaurare sumptibus cogitabat immodicis; negotiumque maturandum Alypio dederat Antiochensi, qui olim Britannias curaverat pro præfectis. Cum itaque rei idem fortiter instaret Alypius, juvaretque provinciæ rector, metuendi globi flammarum prope fundamenta crebris assultibus erumpentes, fecere locum exustis aliquoties operantibus inaccessum: hocque modo elemento destinatius repellente, cessavit incæptum*. Hæc ille, Christianorum adversus Judæos causam inscius agens.

Accedit Oseæ clarissimum oraculum cap. 3. v. 4. & 5. (hodiernum nimirum Judaicæ Gentis statum,) quo sine Rege , sine Principe , sine Sacrificio , sine Ara futuram esse perfidam hanc nationem, & ad orbis finem usque perseveraturum prænuntiat : quo tandem tempore Jesum nostrum verum Messiam agnoscent Hebræi , at tarde nimis : ימים רבים ישבו בני ישראל אין מלך ואין שר ואין זבח ואין מצבה ואין אפוד ותרפים : אחר ישבו בני ישראל ובקשו את יהוה אלהיהם ואת דויד מלכם ופחדו אל יהוה ואל טובו באחרית הימים *dies multos manebunt filii Israel sine Rege , & sine Principe , & sine Sacrificio , & sine Altari , & sine Ephod , & sine Teraphim . Postea revertentur filii Israel , & quærent Dominum Deum suum , & David Regem suum , & pavebunt ad Dominum , & ad bonum ejus , in novissimo dierum .* Quæ verba commatis quinti R. Jonathas ita in Chaldæum vertit : בתר כן יתובון בני ישראל ויתבעון יתפולחנא דיהוה אלהיהון וישתמעון למשיחא בר דוד מלכיהון *& post hæc pœnitebunt filii Israel , & quærent cultum Domini Dei sui , & obedient Messiæ filio Davidis Regi suo .* Nulla igitur excitandi Salomonici Templi fiducia illis affulget , si ad mundi usque finem sine Sacrificio, sine Altari, mansuri sunt.

Quin etiam , quod notandum magis: non solum ex divinis Scripturis colligitur Judæos ad mundi usque finem mansuros sine Rege, sine Principe, sine Sacrificio, sine Altari , sine Templo; verum etiam sine vero Deo, sine Sacerdote , & sine lege : וימים רבים לישראל ללא אלהי אמת וללא כהן מורה וללא תורה *& dies multi erunt Israeli absque Deo vero , & absque Sacerdote docente , & absque lege* , lib. 2. Paralipomenon cap. 15. v. 3. Ubi quod sine *Deo vero* , vel *veritatis* transtuli , sine judicibus veritatis Judæi dolose interpretantur , eo quod אלהי אמת *elohe emeth* scritum sit, quod ad Deum, & ad judices æquivocum sit . Sed eos prave ac falso id interpretari , ex eo maxime pespectum est : quod licet nomen אלהים *elohim* , judices interdum divinis in Scripturis significet , sua tamen primaria significatione Deum sonat . Quam ob rem istic potius Deum , quam judices significare fatendum est ; maxime cum veteres Talmudistæ illud pro Deo vero hoc in loco accipiant, præsertim vero in libro *Avoda Zara*, idest, cultus alienus, cap. quod incipit *Liphne Edchen* , hoc est, ante festa eorum , ubi ita ad verbum legitur: *dixit R. Hanina ad R. Elazar , beatus tu , qui teipsum exercuisti in lege , & in operibus misericordiæ :*

diæ: & væ mihi, qui exercui me in lege duntaxat. Quoniam ut dixit R. Hunna, quicunque ſtudet, vel exercet ſe in lege tantum, ſimilis eſt ei, qui non habet Deum, ſicut ſcriptum eſt ſecundi libri Paralipomenon decimo quinto capite, dies multi Iſraeli ſine Deo vero, & ſine Sacerdote, & ſine lege.

Laudata porro Oſeæ, & Paralipomenon Oracula, de præſenti Judaicæ Gentis ſtatu intelligenda eſſe, manifeſtum eſt: a Deo quippe Gens hæc, quod dolens dico, impia pervicaciæ ſuæ, & cordis ſui corruptioni tradita, ſine Regibus, ſine Principibus, ſine Sacerdotibus, ſine ſacrificio, ſine Templo, ſine Altari, ſine Deo, ſine Prophetis, ſine magiſtratibus, ſine forma veræ & integræ Reipublicæ, externis Regibus & Principibus ſemper ſubjecta, alieno vivens arbitrio; ſine ſuæ religionis uſu, ſine doctoribus cœleſti lumine afflatis, cæciſque cæcorum ducibus, ſine lege; quandoquidem lex Moſis per Evangelium abrogata fuit, ut jam abunde diſſertatione ſexta demonſtravimus: diſperſa ac diſſipata in omnes angulos orbis, per omnes nationes diſtracta, vaga, profuga, errabunda, extorris, crimen & ignominiam rejecti, & occiſi filii Dei circumferens, cunctis gentibus odioſa, execrabilis, proculcata, ut nihil in præſentia abſurdius & contumelioſius habeatur, quam Judaicum nomen, quod olim nobile, auguſtum, & inclytum erat a laude nimirum, & celebritate dictum: ut Romanæ leges in codice Theodoſiano de Judæis, *tetrum Judæorum nomen* appellent; infelicitatem ſuam ac ſempiternam calamitatem miſerrime trahit. Preclare Regius Vates Pſalm. 59. v. 12. אל תהרגם פן ישכחו עמי *ne occidas eos, ne forte obliviſcantur populus meus*, in caſu nominandi, ideſt, ne Gentes obliviſcantur vindictæ, quam in eos vivos perenni ſupplicio exerces: הניעמו בחילך והורידמו מגננו ארני *commove eos in fortitudine tua, & depone eos clypeus noſter Domine.* Loqui enim Prophetam de Judæis, Dei vindicta per totum orbem diſperſis, iis manifeſtum fore arbitror, qui Pſalmum integrum vel obiter lectitarint.

Nec illud prætereundum de infelici Judæorum ſorte, ubicumque terrarum degunt, eos nullo pacto, nec ad magiſtratus, nec ad militiam, nec ad publica munia admitti: ad hæc tributa pendere acerbiſſima, cunctis ludibrio eſſe, probra & dedecora infinita pati: ſæpe in Italia, Gallia, & Germania veneficii convictos, pene internecione deletos: expelli paſſim a Regnis, ut e Gallia,

Hispania, &c. Bona eorum frequenter diripi, ac venire sub hasta, innumeras calamitates, cædes, clades, ærumnas sustinere, quæ tot, tamque ingentia mala & nostri Annales referunt, & eorum monumenta deplangunt. Sic digne, heu, heu! infelices Deicidæ, sanguinis occisi pœnas in sanguine solvunt, solventque usque ad mundi finem: quo tempore affulgente divinæ misericordiæ radio, auferetur velamen de corde eorum, agnoscent Dominum, quærent verum Christum, repudiato Antichristo, & Sanctum Jesu Christi æterni filii Dei Evangelium amplectentur, sed sero nimis.

Nunc quid ad hæc Judæi? Nonnulli reponunt, Deuteronomii cap. 30. v. 3. & sequent. legitur: ושב יהוה אלהיך את שבותך ורחמך ושב וקבצך מכל העמים אשר הפיצך יהוה אלהיך שמה: אם יהיה נדחך בקצה השמים משם יקבצך יהוה אלהיך ומשם יקחך: והביאך יהוה אלהיך אל הארץ אשר ירשו אבתיך וירשתה *& reducet Dominus Deus tuus captivitatem tuam, & miserebitur tui, & reducet, & congregabit te ex omnibus populis, ad quos dispersit te Dominus Deus tuus, ut esses ibi. Si fuerit expulsio tua in extremo cælorum, inde congregabit te Dominus Deus tuus, & inde accipiet te. Et introducet te Dominus Deus tuus ad terram, quam possederunt patres tui, & possidebis eam.* Isaiæ cap. 14. v. 1. כי ירחם יהוה את יעקב ובחר עוד בישראל והניחם על ארמתם *nam miserebitur Dominus Jacob, & eliget adhuc in Israel, & requiescere eos faciet super humum suam.* Quibus paria leguntur Jeremiæ cap. 23. v. 3. cap. 29. v. 14. cap. 32. v. 37. Ezechielis cap. 34. v. 13. & cap. 37. v. 21. Harum porro pollicitationum effectum adhuc præstolantur Judæi: seipsos lactant vana spe, fore, ut Deus malorum suorum misericordia tactus ex hac dispersione, in qua modo ubique locorum sunt, ipsos tandem in terram suam reducat. In Babylonica captivitate ajent, Israel non fuit dispersus ad *extremum cælorum*, ut hic dicitur; cumque Dominus populum suum ex illa captivitate redemit, totum Israel non reduxit, Hebræorum numerum non adauxit, eis non dedit cor circumcisum, uti hoc in loco pollicetur. Non igitur de Babylonica captivitate hic loquitur Moses; sed de ea, in qua a tot sæculis degimus.

Verum, quam sibi spondent, redemptio eo modo, quo putant, non continget: opus est imprimis, ut errorem suum fateantur, ut ad Jesum Christum redeant, ut adorent quem crucifixerunt, & ut

in

in Ecclesiam ingrediantur; quod nonnisi in fine mundi eveniet, & cum plenitudo Gentium intraverit, ut loquitur Divus Paulus ad Romanos cap. 11. v. 25. Tunc Mosis prædictio perfecte adimplebitur; quod quidem non obstat, quin revera fuerit in reditu a Babylonica captivitate completa, cum eadem prophetia etiam ad litteram diversos possit eventus indicare. Tempore quippe Nehemiæ, & Esdræ nutu Dei Judæi a Cyro Rege Persarum redeundi facultate accepta, congregati fuerunt, reversique sunt ad terram suam, quicumque reverti voluerunt, ut habetur lib. 2. Paralipomenon cap. ultimo: & Esdræ lib. 1. capitibus 1. 6. 7. & 8. Id liquet etiam ex lib. 2. Esdræ cap. 1. v. 8. & 9. in prece, quam Deo fundebat Nehemias, dum adhuc in Babylonici Regis aula versaretur: זכר נא את הרבר אשר צוית את משה עבדך לאמר אתם תמעלו אני אפיץ אתכם בעמים : ושבתם אלי ושמרתם מצותי ועשיתם אתם אם יהיה נרחכם בקצה השמים משם אקבצם והבואתים אל המקום אשר בחרתי לשכן את שמי שם *memento quæso verbi quod mandasti Mosi servo tuo, dicens: vos prævaricabimini: ego dispergam vos in populos. Et revertemini ad me, & custodietis præcepta mea, & facietis ea: si fuerit expulsio vestra in extremo cœlorum, inde congregabo vos, & adducam vos ad locum quem elegi, ut habitare facerem nomen meum ibi*. Credebat igitur Mosis minas in eis adimpletas fuisse, & sperabat, fore ut Deus vellet eos in suam regionem reducere, uti fuerat pollicitus. Quæ vero hic in textu sequuntur de circumcisione cordis, & dilectione Dei, Magistri Hebræorum etiam referunt ad dies Messiæ, nempe quod tunc cor hominis non sit futurum tam instabile, & ad malum propensum, sed solum concupiscet id quod æquum & justum, atque Deo placens fuerit, juxta illud Jeremiæ dictum cap. 31. v. 33. *dabo legem meam in medio eorum, & in corde eorum scribam eam*. Ex quibus clarum est, de Judæorum congregatione, & reditu ex Babylonica captivitate, laudata vaticinia intelligenda esse. De qua etiam congregatione & reditu apud Ezechielem cap. 39. v. 25. sic dicitur: לכן כה אמר ארני יהוה עתה אשיב את שבות יעקב ורחמתי כל בית ישראל וקנאתי לשם קרשי *propterea sic dixit Dominus Deus: nunc reducam captivitatem Jacob, & miserebor omnis domus Israel, & Zelabo pro nomine Sancto meo*. Et vers. 27. & seqent. בשובבי אותם מן העמים וקבצתי אתם מארצות איביהם ונקרשתי בם לעיני

לעיני הגוים רבים : וידעו כי אני יהוה אלהיהם בהגלותי אותם אל הגוים וכנסתים אל אדמתם ולא אותיר עוד מהם שם : ולא אסתיר עוד פני מהם אשר שפכתי את רוחי על בית ישראל נאם אדני יהוה *cum redire fecero eos e populis, & congregavero eos e terris inimicorum suorum, & sanctificatus fuero in eis in oculis Gentium plurimarum. Et scient quod ego sum Dominus Deus eorum, in eo quod migrare fecerim eos ad Gentes, & congregem eos super terram suam, & non relinquam ultra ex eis ibi. Et non abscondam ultra faciem meam ab eis; quia effudi spiritum meum super domum Israel, dixit Dominus Deus.* Etsi hujus prophetiæ ultimum ac verum implementum in Christo esse qui dicat verum is dicet.

Reponent fortasse: Dominus Ezechielis loco laudato v. 28. ait: *& congregem eos super terram suam, & non relinquam ultra ex eis ibi*, quenquam scilicet. Cum igitur, inquient, non omnis Israel tempore Esdræ ad terram suam congregatus fuerit, ita ut nemo ex eis in Gentibus remanserit, perspectum est, oraculum hoc nondum impletum esse.

Eos porro in hoc & falsiloquos esse, & Deo ingratos, Esdras ipse manifeste demonstrat, cum lib. 1. cap. 2. v. 70. ait: וישבו הכהנים והלוים ומן העם והמשררים והשוערים והנתינים בעריהם וכל ישראל בעריהם *& habitaverunt Sacerdotes, & Levitæ, & de populo, & cantores, & janitores, & nethinim in civitatibus suis; & omnis Israel in urbibus suis.* Et cap. 3. ejusdem libri v. 1. ויגע החרש השביעי ובני ישראל בערים ויאספו העם כאיש אחד אל ירושלם *& pervenit mensis septimus, & filii Israel erant in urbibus suis, & congregati sunt populi tanquam vir unus in Jerusalem.*

Urgent nihilominus: Dominus Ezechialis cap. laudato v. 29. inquit, *& non abscondam ultra faciem meam ab eis:* notum est autem, ex illo tempore maxime abscondisse Deum faciem suam ab Israelitis, præsertim hac in captivitate. Non igitur de Babylonica captivitate hic loquitur Ezechiel, sed de ea, in qua a tot sæculis degunt.

Ultro equidem fatemur, Deum abscondisse faciem suam a Judæis hac in captivitate existentibus plusquam ante: unde de eis comprobatur illud Deuteronomii cap. 31. v. 17. וחרה אפי בו ביום ההוא ועזבתים והסתרתי פני מהם והיה לאכל ומצאהו רעות רבות וצרות ואמר ביום ההוא הלא על כי אין אלהי בקרבי מצאוני הרעות האלה *& irascetur furor meus contra eum in die illo, & derelinquam eos, & abscon-*

abſcondam faciem meam ab eis, & erit ad conſumendum, & invenient eum mala multa, & anguſtiæ, & dicet in die illo: nonne quia non eſt Deus in medio mei, invenerunt me mala hæc? Ex hoc tamen non ſequitur, Deum abſcondiſſe faciem ſuam ab Iſrael, nimirum a veris fidelibus, qui Iſrael dicuntur ſecundum ſpiritum, non ſecundum carnem: *non enim omnes, qui ex Iſrael ſunt, hi ſunt Iſraelitæ: neque qui ſemen ſunt Abrahæ, omnes filii*, inquit Apoſtolus ad Romanos cap. 9. v. 7. Ab iſtis enim nunquam Deus faciem ſuam abſcondit, ex quo Spiritum Sanctum ſuper eos in die Pentecoſtes effudit. Et ideo egregie dicitur per Prophetam: *& non abſcondam ultra faciem meam ab eis; quia effudi Spiritum meum ſuper domum Iſrael, dixit Dominus Deus*. Duplicem igitur Iſraelem ſecernere neceſſe eſt: ſpiritualem unum, carnalem alterum: fidelem illum, infidelem iſtum: hunc verum Abrahæ filium, iſtum ſpurium, ac degenerem: hunc promiſſis benedictionibus cumulatum in Chriſto Jeſu, cui credidit: illum reprobatum a Jeſu, quem tradidit: hunc in Eccleſiæ Catholicæ unitatem fidei profeſſione ſuſceptum, iſtum in effuſi ſanguinis pœnam toto orbe profugum, & extorrem. Cæterum, Ezechielem ſecundum quidem litteram de Judæorum congregatione & reditu ex Babylonica captivitate intelligendum eſſe, perſpicuum eſt ex ipſius verbis; ait enim: *nunc reducam captivitatem Jacob*: quod manifeſte falſum eſſet, ſi hoc eſſet adhuc futurum, cum ab eo tempore hucuſque plures duobus millibus tranſierint anni. Quare cum Deum vel iſtic, vel alibi mentiri, ſit impoſſibile, neceſſario profecto ſequitur, quod tunc cum Deus dixit, *nunc reducam captivitatem Jacob*, cum reliquis, fuerint hæc incæpta. Deinde vero ſuis temporibus, prout Deus ipſe decreverat, univerſa completa.

Reponunt rurſus alii: Zachariæ cap. 6. v. 12. legitur: כה אמר יהוה צבאות לאמרהנה איש צמח שמו ומתחתיו יצמח ובנה את היכל יהוה *ſic dixit Dominus exercituum, dicens: ecce vir germen nomen ejus, & ſubter eum germinabit, & ædificabit Templum Domini*. Amoſi cap. 9. v. 11. ביום ההוא אקים את סכת דויד הנפלת וגדרתי את פרציהן והרסתיו אקים ובניתיה כימי עולם *in die illa erigam tabernaculum David quod cecidit, & ſepiam aperturas ejus, & diruta ejus erigam, & ædificabo illud ſicut in diebus antiquis*. Et v. 14. & 15. ושבתי את שבות עמי ישראל ובנו ערים נשמות וישבו ונטעו כרמים ושתו את יינם ועשו גנות ואכלו את פריהם : ונטעתים על אדמתם ולא ינתשו

ינתשו עוד מעל ארמתם אשר נתתי להם אמר יהוה אלהיך *& con-*
vertam captivitatem populi mei Iſrael, & ædificabunt urbes deſo-
latas, & inbabitabunt: & plantabunt vineas, & bibent vinum
earum: & facient bortos, & comedent fructum eorum. Et planta-
bo eos ſuper bumum ſuam, & non evellentur ultra de terra ſua,
quam dedi eis, dixit Dominus Deus tuus. Jeremiæ cap. 31. v. 4.
עוד אבנך ונבנית בתולת ישראל *adhuc ædificabo te, & ædificaberis*
virgo Iſrael. Et v. 38. הנה ימים באים נאם יהוה ונבנתה העיר
ליהוה ..... לא ינתש ולא יהרס עוד לעולם *ecce dies venient;*
dixit Dominus, & ædificabitur civitas Domino ..... Non evel-
letur, neque deſtruetur ultra in ſæculum. Pſalm. 50. v. 20. היטיבה
ברצונך את ציון תבנה חומות ירושלם *bene fac in voluntate tua, ipſi*
Sion: ædificabis muros Jeruſalem. Pſalm. 146. v. 2. בונה ירושלם
יהוה נדחי ישראל יכנס *ædificans Jeruſalem Dominus, ejectos Iſrael*
congregabit. Zachariæ cap. 14. v. 11. וישבו בה וחרם לא יהיה עוד
וישבה ירושלם לבטח *& babitabunt in ea* (Jeruſalem) *& anathe-*
ma non erit amplius: & babitabitur Jeruſalem confidenter. Iſaiæ
cap. 65. v. 18. & ſequent. : הנני בורא את ירושלם גילה ועמה משוש
וגלתי בירושלם וששתי בעמי ולא ישמע בה עוד קול בכי וקול זעקה :
לא יהיה משם עוד עול ימים וזקן אשר לא ימלא את ימיו כי הנער
בן מאה שנה ימות והחוטא בן מאה שנה יקלל : ובנו בתים וישבו
ונטעו כרמים ואכלו פרים : לא יבנו ואחר ישב לא יטעו ואחר יאכל
כי כימי העץ ימי עמי ומעשה ידיהם יבלו בחירי *ecce ego creo Jeruſa-*
lem exultationem, & populum ejus gaudium. Et exultabo in Jeru-
ſalem, & gaudebo in populo meo: & non audietur in ea ultra vox
fletus, & vox clamoris. Non erit tunc ultra infans dierum, neque
ſenex, qui non impleverit dies ſuos, quoniam puer centum annorum
morietur, & peccator filius centum annorum maledicetur. Et ædifi-
cabunt domos, & plantabunt vineas, & comedent fructum earum.
Non ædificabunt, & alius babitabit; non plantabunt, & alius co-
medet, quia ſecundum dies ligni, dies populi mei, & opus ma-
nuum ſuarum inveterabunt electi mei. Et alia id genus pene ſex-
centa, quæ opulentum imperium, & ſummam felicitatem Judæis
ſub Meſſia promittere videntur. Cum igitur hæc tempore Jeſu
Nazareni impleta non fuerint, perſpicuum eſt, ipſum verum
Meſſiam non fuiſſe; adeoque alium expectandum.

Sed ſunt hæc plane ludicra, atque futilia. Siquidem laudata
oracula magna ex parte nonniſi allegorico ſenſu accipi poſſunt;
ut

ut ad spiritualem Judaici populi liberationem per fidem, necnon ad mysticam Jerosolymæ instaurationem, Ecclesiam, nimirum, a Messia instituendam referantur. Quod ni fiat, in quingenta absurda devenietur. Neque enim Zacharias de Templo Jerosolymitano denuo instaurando loquitur; sed de Templo mystico, & spirituali, Ecclesiæ scilicet, cujus symbolum, & figura extitit Templum Salomonis: hujus vero Templi instauratio vera futura erat in Ecclesia; verissima & perfectissima futura est in cœlis. Symbola ejus & initia dici possunt a Zacharia proposita, instaurationem secundi Templi, secundum Grotium, & alios, prædicente, sub Zorobabele, & Josua filio Josedech.

Erectionem porro tabernaculi David ab Amoso promissam, aliqui factam esse censent ab Ezechia, qui post abductas ab Asyriis decem Tribus anno sexto regni sui, earum reliquias profugas excepit, & in veri Dei cultu, veraque Ecclesia confirmavit, lib. 4. Regum cap. 18. & 19. Alii eam factam esse autumant ab Esdra, & Zorobabele, qui Cyro annuente Judæos e Babylone reduxerunt in Jerusalem, ibique eorum Rempublicam, & Ecclesiam restituerunt. Verum hi a vero sensu aberrant: nam exilis fuit utraque hæc erectio; ea autem quæ hic promittitur, ampla fuit & augusta. Ait enim: *& ædificabo illud sicut in diebus antiquis. Ut possideant residuum Edom, & omnes Gentes, eo quod invocatum est nomen meum super eas.* Quis autem dicat Ezechiæ, & Zorobabelis ætate, ac etiam secutis inde temporibus Gentes omnes Judaicæ nationis imperio fuisse subditas: cum hæc potius exterarum deinceps Gentium dominatum, ac etiam tyrannidem passa sit? Addit idem Amosus v. 15. *& plantabo eos super humum suam, & non evellentur ultra de terra sua, quam dedi eis, dixit Dominus Deus tuus.* Cum tamen manifestum sit, Judæos suis subinde sedibus fuisse depulsos, exterminatos, perpetuoque exilio ad hoc usque tempus damnatos.

Respondeo ergo, hanc promissionem ad Christum, & Gentes sub ejus jugum cogendas spectare, per eumque expletam esse; quemadmodum explicat Jacobus in Actis Apostolicis cap. 15. v. 16. Propheta igitur hic de more, post expositam Dei ultionem, & desolationem Israelis, ejus restaurationem, & consolationem per Christum afferendam subjungit. Nec diffitentur Hebræi, qui in capite ultimo Talmudici libri Sanhedrin, memoratum istic tabernaculum David, Messiam esse

contendunt. Redeunt vero ad ingenium ſuum Judæi, cum prolixas loci hujus promiſſiones, tum fertilitatis terræ, & fructuum proventus, tum diuturnitatis imperii & amplificationis ac ſecuritatis, ad litteram accipi contendunt. Et merito ſane; tales enim eſſe fructus hoc loco ab Amoſo promiſſos intelligere par eſt, qualis ea fames eſt, cui ſedandæ comparantur hi fructus & promittuntur. Cujuſmodi autem fames illa ſit, palam facit Amoſus ipſe cum cap. 8. v. 11. dixit: הנה ימים באים נאם ארני יהוה והשלחתי רעב בארץ לא רעב ללחם ולא צמא למים כי אם לשמע את דברי יהוה *ecce dies veniunt, dixit Dominus Deus, & mittam famem in terram; non famem panis, neque ſitim aquæ, ſed audiendi verba Domini*. Itaque cum Sacer Vates dicit: *erigam tabernaculum David*, reipſa dicit, erigam Eccleſiam, ſive cætum populi fidelis, cui olim dominatus eſt David. Porro regnum hoc Davidis, æque ac Eccleſia fidelium, per varias rupturas cecidit, nimirum primo, cum Jeroboam decem Tribus a regno Davidis, & ab Eccleſia, cultuque Dei ad ſe, & ad vitulos aureos traduxit. Secundo, cum Iſraelitæ a Syris, Philiſtinis, Ægyptiis, aliiſque Gentibus multoties fuerunt attriti. Tertio, cum decem Tribus in Aſſyriam, duæ in Babylonem fuerunt abductæ. Quarto, cum Antiochus Epiphanes ejuſque poſteri, tempore Machabæorum poſteros Davidis afflixerunt. Quinto, cum Herodes, ſub quo natus eſt Jeſus noſter, ſtirpem Davidis regiam quaſi extinxit, totumque regnum ad ſe, puta ad Alienigenam, tranſtulit. *In die ergo illa*, ideſt, in tempore illo, quo per tot ruinas, ac tandem per, tyrannidem Herodis, regnum Davidis plane cadet & corruet, Deus, qui in rebus deploratis ſuccurrere ſolet, mittet Meſſiam ſive Chriſtum, qui in tabernaculum hoc, quaſi in propriam domum, & in regnum avitum Davidis patris ſui, jure hereditario ſuccedet, illudque reſtituet, imo auguſtius reddet, non dominio & dominatione temporali, ſed ſpirituali, quæ ſublimior & divinior eſt. Chriſtus enim tam Judæos, quam Iſraelitas in ſuum regnum, ſuamque Eccleſiam aſcivit & cooptavit, ac vice incredulorum, qui in illud aſcribi noluerunt ſubrogavit, & adoptavit omnes Gentes ex toto mundo; & ita fecit ut hoc regnum ampliſſimum totum orbem complecteretur, ut a Chriſto omnes vocentur Chriſtiani, & profiteantur ſe Chriſti ſubditos, & diſcipulos: Gentes ergo loco Judæorum huic Davidis tabernaculo, quaſi vivi lapides, inædificatæ

ſunt,

ſunt, & ut ait Paulus Roman. cap. 8. v. 17. in hanc Davidis, Deique oleam inſertæ ſunt.

Dicent forte cæci homines : Amoſus loco laudato. v. 14. ait : *& convertam captivitatem populi mei Iſrael, & ædificabunt urbes deſolatas . . . . . Et plantabo eos ſuper humum ſuam, & non evellentur ultra de terra ſua, quam dedi eis :* non igitur de ſpiritali Judæorum liberatione, ſed de temporali, & in priſtinum locum reſtitutione loquitur Sacer Vates.

Verum non eſt ita, ut ajunt, non eſt ita. Cum enim Amoſus ait, *convertam captivitatem populi mei Iſrael*, ſenſus eſt, reducam populum meum Iſrael, ideſt, fidelem credentem Chriſto ex captivitate diaboli, & peccati, ut ædificent urbes, hoc eſt, Eccleſias, in quibus plantent vineas, & hortos, ideſt, cætus fidelium, ac corda piorum virtutibus & gratiis conſita, quæ dabunt fructus & vinum operum ſuaviſſimorum & ſanctiſſimorum. Hæc enim myſtice debere accipi, non ad litteram patet ex eo, quod Iſrael, hoc eſt, decem Tribus e captivitate Aſſyriaca nunquam redierint, nec rediture ſint: immo pronunciare non veretur Talmud eas eſſe damnatas, ut expreſſe legitur in tractatu Sanhedrin cap. 11. Eſt ergo continua metaphora, petita ab iis, qui e captivitate redeunt in patriam. Hi enim ſolent ædificare urbes, plantare vineas, & hortos. Cum pariter inquit, *& plantabo eos ſuper humum ſuam*, ſenſus eſt, plantabo eos in Eccleſia, quæ fundata eſt ſuper petram, & cui portæ inferi non prævalebunt, Matth. cap. 16. v. 18. Plenius id fiet in Eccleſia triumphante in cœlo.

Ex iis ergo perſpicuum eſt, perperam Judæos hoc oraculo, & ſimilibus abuti, ut probent Meſſiam necdum veniſſe, ſed venturum, ut temporale Davidis regnum reſtituat, ac Judæos in illud quaſi primores regni adſciſcat. Nam, ut alia taceam, Amoſus illic proprie non agit de Judæis, ſed de Iſraelitis, ideſt, decem Tribubus (has enim v. 8. 9. & 14. vocavit domum Jacob, & domum Iſrael) eiſque poſt cladem reſtitutionem promittit, ut regno Davidis, a quo per ſchiſma exciderunt, rurſum inſerantur, & uniantur. Fruſtra ergo hæc ſibi attribuunt juniores Hebræi. Cumque conſtet Iſraelem nunquam ex captivitate Aſſyriaca rediiſſe, ut nuper dixi, aut rediturum, æque ac Judæi e captivitate Titi & Romanorum per mille ſeptingentos annos nunquam redierunt,

runt, nec redibunt, sequitur hæc de mystico Israelis reditu, puta de Gentium in Christum credentium, qui sunt Israelitæ secundum spiritum, non secundum carnem, ut ait Apostolus Romanor. cap. 9. versu 7. conversione, & salute intelligenda esse.

Quæ porro de Jerosolymorum instauratione, amplitudine, ornatusque perennitate in aliis productis oraculis adnotantur; hæc de Ecclesiæ Christi institutione, amplitudine, magnitudine, perennitate, de mystica, & spirituali instauratione intelligenda omnino veniunt: non vero de materiali, ut ajunt, Jerosolymorum instauratione. Id ut dicamus, ratio cogit; quia si de altera Jerosolymorum instauratione, qualis nunc ab Hebræis expectatur, post secundam cladem a Tito, & Vespasiano illatam Sacros illos Vates locutos esse diceremus, palam sibi, manifesteque repugnarent; quippe qui, & Jerosolymam, & Templum nunquam deinceps instaurandum locis paulo ante laudatis perspicue testantur. Et quamvis Christi Ecclesia pati possit jacturam aliquam ab internis, vel externis hostibus, cum tamen supra firmam adeo petram fundata sit, concuti nunquam modo potest, & ad sæculorum usque finem subsistet.

Pariter, quæ de magnitudine & felicitate regni Christi alia vaticinia prænuntiant, non de carnali ac terreno, sed de spiritali & divino Christi imperio, nempe de Ecclesia fidelium, tot cœlestibus bonis affluente; ac perfectissime, de Sanctorum cum Christo in beatitudine cœlesti regnantium felicissimo statu, intelligenda sunt.

Similiter, oracula quæ prænuntiant, Judæos ex tot, tantisque exiliis, quibus per varias orbis regiones dispersi sunt, redituros in Judæam, Jerusalem, Templum reædificaturos, sacra omnia mosayca instauraturos: partim, idest juxta litteram, loquuntur, de reditu ex captivitate illa Babylonica, quando per Zorobabelem instauratum est Templum, & Sacrificia postliminio restituta, ut supra diximus: partim, nempe secundum spiritum, accipienda sunt, de reversione Judæorum in meliorem Jerusalem, hoc est, Ecclesiam, & in Templum, cultum, sacrificia præstantiora quam vetera.

Nec dicant Judæi mortiferæ litteræ tenacius hærentes, Christianorum suffugium istud esse, ac pro arbitrio confictum, ut obje-

objectas illorum difficultates declinarent potius, quam diluerent; nam prædictarum responsionum rationes omnino invictas subdimus, quæ Judaicarum expositionum levitatem in propatulo ponant; idque totum de spiritali instauratione sumendum evincant.

Ratio prima hæc est: quod, ut observat eruditus quidam Sacræ Scripturæ Interpres, non dissimilem instaurationem, liberationem, redintegrationem Sodomitis, Samaritanis, Assyriis, Ægyptiis, Moabitis, & Ammonitis promiserit Deus, ac laudatis ante oraculis Judæis dicitur promisisse: at illa non fuit temporalis, sed spiritualis per Christum; ergo talis quoque fuit Judæorum. Ezechielis cap. 16. v. 55. ואחותיך סדם ובנותיה תשבן לקדמתן ושמרון ובנותיה תשבן לקדמתן ואת ובנותיך תשבינה לקדמתכן *& sorores tuæ, Sodoma, & filiæ ejus revertentur ad antiquitatem suam: & Samaria, & filiæ ejus revertentur ad antiquitatem suam: & tu, & filiæ tuæ revertemini ad antiquitatem vestram*, hoc est, ad antiquam sedem, opes, & gloriam: at Samariam, Sodomam, proximasque civitates cœlesti incendio cum omnibus suis incolis conflagratas nunquam temporaliter restituendas Judæi conspirant: mystica igitur, & spiritualis tantummodo eis promittitur instauratio. Parem Assyriis, & Ægyptiis, ac Israelitis ipsis promisit Isaias cap. 19. vers. 24. ביום ההוא יהיה ישראל שלישיה למצרים ולאשור ברכה בקרב הארץ *in die illa erit Israel tertius Ægypto, & Assyrio, benedictio in medio terræ*. Hoc ad verbum ut sonat fallum est, nec admittent aut patientur Judæi sibi associari & æquari Ægyptios, & Assyrios: mystice igitur id sumi debet. Parem Moabitis, ac Judæis ipsis liberationem spopondit Jeremias cap. 48. vers. 47. ושבתי שבות מואב באחרית הימים נאם יהוה *& convertam captivitatem Moab in novissimo dierum, ait Dominus*. Parem & Ammonitis promisit cap. 49. vers. 6. ואחרי כן אשיב את שבות בני עמון נאם יהוה *& post hæc reverti faciam captivitatem filiorum Ammon, dixit Dominus*. Cum tamen nec Moabitas, nec Ammonitas, quos Nabuchodonosor Babylonem abduxit, e captivitate illa temporali rediisse, Judæi fateantur. Quæ igitur illis promittitur liberatio mystica, & spiritualis est, puta conversio ad Deum per Christum. Cur non igitur pari jure laudatis Prophetarum oraculis spiritualem, & mysticam Israelis, Jerosolymæ, ac Templi instaurationem intelligamus, Ecclesiæ nimirum institutionem.

Simi-

Simile est Templum quod promittit Ezechiel cap. 40. & sequent. scilicet magis mysticum, quam litterale. Unde cap. 47. v. 1. 8. & 9. vidit ex eo egredi aquas, & sensim in fluvium ingentem crescere, cujus rivulo sanabantur & dulcorabantur aquæ maris, quæ omnia mystice accipienda esse manifestum est. Quocirca passim Rabbini dicunt, initium prophetiæ Ezechielis, æque ac finem de novo Templo, & urbe, esse arcana inexplicabilia, & a nemine intellecta. Disce hinc canonem, moremque Prophetarum: nimirum solent ipsi post tristia læta subjungere, post desolationem consolationem, post excidia & ruinas Gentium, earumdem restitutionem per Christum. Ipse enim est salus, consolatio, gaudium, & desiderium cunctarum Gentium.

Ratio altera hæc est: quod Dei Templum, & Jerosolymam excitandam in eum modum, ac formam Sacri Vates prænuntient, quam ad litteram, & secundum dictionum sensum accipere insulsum ac ridiculum sit: הנה אנכי מרביץ בפוך אבניך ויסדתיך בספירים: ושמתי כדכד שמשתיך ושעריך לאבני אקדח וכל גבולך לאבני חפץ *ecce ego*, inquit Deus Isaiæ cap. 54. v. 11. & 12. *cubare facio in carbunculo lapides tuos, & fundabo te in sapbiris. Et ponam ex margaritis fenestras tuas, & portas tuas ex lapidibus carbunculis: & omnem terminum tuum ex lapidibus desiderabilibus*. Quæ quis extra allegoriam dicta putet? והיה באחרית הימים נכון יהיה הר בית יהוה בראש ההרים ונשא מגבעות *& erit*, inquit Isaias cap. 2. v. 2., *in novissimis diebus præparatus mons domus Domini in vertice montium, & elevabit se præ collibus*. Quæ quis secundum nativam dictionum superficiem accipienda sibi fingat? והיה מדי חדש בחדשו ומדי שבת בשבתו יבוא כל בשר להשתחוות לפני אמר יהוה *& erit*, subjungit idem Isaias cap. 66. v. 23. *de mense in mensem, & de sabbato in sabbatum ejus, veniet omnis caro, ut incurvet se coram me* (in Jerusalem) *dixit Dominus*. Quo vero portento, qua lege, qua sorte fieri posset, ut toto terrarum orbe diffusi populi quolibet mense, immo & quocumque sabbato Jerosolymam tandem instauratam adirent, verum illic Deum adoraturi? Hæc itaque mystico, & spirituali sensu sine controversia intellecta nonnisi ad spiritualem Jerosolymæ, & Judaici populi instaurationem, liberationem, ac salutem referuntur.

Postrema tandem ratio hæc est; quod sına citatis paulo ante Jeremiæ, & Zachariæ oraculis veritas nequaquam constaret, si de tempo-

temporali Jerosolymorum instauratione locuti dicantur. Hanc enim, ut primum instaurata fuerit post edictum Cyri Regis Persarum, *non evellendam, nec destruendam ultra in sæculum; nec futuram deinceps anathema;* sed summa securitate potituram videntur dicere. Quod sane, si de temporali securitate, atque perennitate dictum velint, quis non cernat esse falsum? Cum toties subinde a Romanis oppugnata, capta demum, eversaque sit. De spirituali igitur Jerosolymæ refectione, deque mystica Judaicæ nationis restitutione locutos Sacros Vates necesse est, dum futuræ sub Persarum dominatione restitutionis, atque refectionis adjuncta, ac circumstantias prædixere: ut a figuris (quod divinis Vatibus familiare est) ad res ipsas designatas transvolarent, ab instauratione temporali Jerosolymorum, quæ sub Persis peracta est post primam eversionem, ad spiritualem Ecclesiæ institutionem, cui promissum fuit, futurum ut inferorum portæ adversus illam nequaquam prævaleant, Matth. cap. 16. v. 18.

Hinc depulsum arbitror alterum Hebræorum errorem, quo terram Canaan, Abrahamo, & semini ejus a Deo datam gloriantur לאחזת עולם *in possessionem æternam*, Geneseos cap. 17. v. 8. Unde colligere sibi autumant, terram hanc Messiæ ætate sibi fore restituendam, ut illam perpetuo obtineant, juxta Ezechielis oraculum cap. 37. v. 25. וישבו על הארץ אשר נתתי לעבדי ליעקב אשר ישבו בה אבותיכם וישבו עליה המה ובניהם ובני בניהם עד עולם ודוד עבדי נשיא להם לעולם *& habitabunt super terram, quam dedi servo meo Jacob, in qua habitaverunt patres vestri: & habitabunt super eam ipsi, & filii eorum, & filii filiorum eorum usque in sæculum; & David servus meus Princeps eorum in sempiternum.* Ut enim præteream istic, quod in superiori dissertatione Judæorum Doctorum auctoritate probatum est; iis loquendi formulis, *in æternum, in sæculum, in perpetuum, in sempiternum*, non semper æternitatem temporis intelligi, sed sæpe diuturnitatem: non semper infinitum tempus, sed sæpe indefinitum, quandoque etiam finitum notari: quis amabo vel tantilli judicii vir, prima fronte non cernat hæc per allegoriam dicta esse, & terræ Canaaneæ typo, Ecclesiæ perpetuam stabilitatem, ac denique terram, seu felicitatem cœlestem adumbrari in perpetuam æternitatem a veris Abrahæ liberis possidendam, juxta Isaiæ oraculum cap. 60. v. 21. ועמך כלם צדיקים לעולם יירשו ארץ נצר מטעי מעשה ידי להתפאר *& popu-*

populus tuus omnes justi in perpetuum hæreditabunt terram, germen plantationis meæ, opus manuum mearum, ad glorificandum me? Et Psalm. 26. v. 18. לולא האמנתי לראות בטוב יהוה בארץ חיים *nisi crederem videre bonitatem Domini in terra viventium*; vel ut habetur in Vulgata nostra: *credo videre bona Domini in terra viventium*. Nec non Psalm. 36. v. 29. צדיקים יירשו ארץ וישכנו לעד עליה *justi hæreditabunt terram, & habitabunt in sæculum super eam*. Perspicuum est autem nullam esse terram sensibilem in qua justi in sæculum habitent, cum omnes justi hac vita existentes sint mortales. Igitur laudata oracula intelligenda non sunt de terra sensibili in qua habitant mortales homines ad tempus; sed de terra cœlesti in qua justi habitant in sæculum sæculi, nimirum æternum, quæque proprie terra viventium est. Et certe, ut animadvertit perdoctus quidam Theologus, si res secundum carnem, & juxta verborum superficiem considerare Hebræi velint; dicant, qua ratione fieri posset, ut Abrahæ semen, quod toto terrarum orbe diffundendum spoponderat Deus, Geneseos cap. 13. v. 16. unico Canaaneæ sinu contineri posset? Dicant, qua forte terra Canaan æternum obtinenda esset, quam ab annis mille septingentis minime obtinent? Dicant, qua digna mercede fidem Abrahæ Deus Optimus compensasset, si unicum illi, ejusque semini terræ angulum in præmium concessisset? Mentem igitur erigere necesse est, ne & Abrahæ fidei, & Dei liberalitati injuriam irrogemus. Quare terram Canaan a posteris Abrahæ reipsa, ac longo annorum tractu possessam olim, ultro concedimus: at insinuatam illam possessionis perennitatem ad cœlestem patriam, cujus hæc typus erat, referendam judicamus. Alias sua Dei oraculo veritas constare non potest.

Sed opprimamus Judæos auctoritate majorum suorum. Terram itaque Canaan sibi non fore restituendam in libro Jebamoth, hoc est, fratriarum, in cap. quod incipit haaretz, idest, terra, potissimum ostenditur, ubi sic ad verbum legitur: *traditum est in libro Seder olam, idest, ordinis mundi, scriptum esse Deuteronomii* 30. cap. *& introducet te Dominus Deus tuus in terram, quam possederunt patres tui, & possidebis eam. Possessio nanque prima, & secunda fuit eis, tertia autem non erit. Dixit R. Johanan, quis fuit auctor Seder olam, hoc est, libri ordinis mundi? Rabbi Joses.* Hæc traditio. Hoc ipsum eodem in libro *Seder olam*, hoc modo quo-

quoque habetur: *scriptum est Deuteronomii* cap. 30. *& introducet te Dominus Deus tuus in terram, quam possederunt patres tui, & possidebis eam. Poterit ne fieri, ut sit tertia possessio in futuro? Docet quid sit ad hoc dicendum id quod ait, quam possederunt patres tui, & possidebis eam. Possessionem enim primam, atque secundam habituri erant, possessio autem tertia non erit eis.* Hactenus traditio. Cum igitur Judæi terram suam bis tantum possessuri essent, ut ex his traditionibus manifestum est; eamque olim jam bis possederint: nam primo quidem a tempore Josuæ usque ad primi Templi eversionem; secundo vero a Zorobabelis, & Esdræ temporibus usque ad ultimi Templi excidium, eam possederunt, ipsamque, traditionibus præmissis attestantibus, haudquaquam sint possessuri: ipsimet fateantur necesse est, se nunquam amplius terram suam possessuros esse, & consectarie nec ad eam reversuros.

Tertium quoque Templum non ædificandum, legitur in Beresith Ketana, idest, in expositione minori libri Geneseos. Legitur in Beresith rabba, hoc est, in commentario ad Genesim super illud Genes. 27. cap. dictum, *vide odorem filii mei*. Legitur in libro Succa, idest, Tabernaculi super illud Joelis 2. cap. scriptum, *& Aquilonem elongabo a vobis*. Et denique in libro Neziruth, hoc est, separationis, super illud Jeremiæ 7. cap. dictum, *bonas facite vias vestras, & actiones vestras*. Ex his ergo traditionibus perspectum est, falsa prorsus esse, antiquisque Judæorum scriptis penitus dissentanea, quæcunque de suo in Jerusalem reditu, deque Templi reædificatione, ac terræ illius tertia possessione Judæi recentiores autumant.





DISSERTATIO OCTAVA.



Essias Sacris Oraculis prænuntiatus, non vir immortalis futurus erat, ut nonnulli Judæorum commenti sunt; nec bellator, copiarumque ductor, ut alii sibi inaniter blandiuntur: sed vir mortalis, pauper, humilis, mansuetus, misericors, atque pacificus; sacra tantummodo in vitia, non in homines, bella gesturus; nec nisi arma spiritualia, & mystica tractaturus.

Nihil in ore frequentius habent Hebræi, quam Messiam Prophetarum Oraculis prænuntiatum, virum immortalem, bellatorem, ac manufortem, Gentiumque domitorem futurum, qui & copias maximas ducat, & iis cum summo imperio præsit. Hinc, quia non instar alicujus Magnatis, vel præpotentissimi Regis, ut Davidis, vel Salomonis, advenit Jesus noster, nec ex Alienigenæ Herodis tyrannide, & Romanorum potestate eos liberavit, nec etiam ferreo sceptro omnes illorum inimicos confregit & comminuit, sed spirituali oris sceptro regimen suum in illos orsus est; colligunt, eum a nobis perperam uti Messiam agnosci, & coli, quem nec virum immortalem, nec bellatorem, nec manu fortem extitisse fatemur. Hoc igitur Judaicæ perfidiæ caput oppugnandum aggredimur, eoque maxime titulo Adorandum nostrum Salvatorem verum esse Messiam ostendimus, unde illi pertinaciter diffitentur. Quocirca adversis omnino vestigiis incessuri tria hæc, præsenti dissertatione demonstranda sumimus: primum, Messiam divinis vaticiniis prænuntiatum, virum pauperem, humilem, mansuetum, misericordem, atque pacificum futurum: alterum, morti, & qui-

quidem turpissimæ a perfidis addicendum: tertium tandem, eumdem illum hominum noxas expiaturum sanguine suo.

Ac primo quidem, Messiam virum pauperem, humilem, mansuetum, misericordem, atque pacificum futurum adeo dilucide prænuntiarunt Sacri Vates, ut stipites, ac plumbeos esse oporteat, quotquot id pertinaciter negant. Enim vero Zachariæ cap. 9. v. 9. & 10. legitur: גילי מאד בת ציון הריעי בת ירושלם הנה מלכך יבוא לך צדיק ונושע הוא עני ורכב על חמור ועל עיר בן אתנות: והכרתי רכב מאפרים וסוס מירושלם ונכרתה קשת מלחמה ודבר שלום לגוים ומשלו מים עד ים ומנהר עד אפסי ארץ *exulta valde filia Sion, jubila filia Jerusalem: ecce Rex tuus veniet tibi justus, & salvatus ipse*, (scilicet a seipso: q. d. quia Christus Deus & homo, justus & innocens actus est in Crucem & mortem, idcirco sua virtute salvus, & redivivus die tertia a morte & sepulchro resurrexit:) *pauper, & equitans super asinum, & super pullum filium asinarum* (idest unius ex asinis.) *Et succidere faciam quadrigam de Ephraim, & equum de Jerusalem, & succidetur arcus belli, & loquetur pacem Gentibus: & potestas ejus a mari usque ad mare, & a flumine usque ad terminos terræ*. Ex Evangelistarum Matthæi cap. 21. & Joannis cap. 12. testimoniis perspectum est, pro certo habitum fuisse ipsorum tempore, de Messia hæc Zachariam prænuntiasse. Nec aliter quippe posteriores Hebræi senserunt: sic enim habetur in libro Sanhedrin, undecimo capite; sic in Beresith utraque, rabba, & ketanna; sic in Baal Hatturim ad Exodi vigesimum tertium caput; sic & in Midrasch choelet: nec aliter Aben-Ezra, & Saadias Gaon, & R. Abrabaniel, & R. Moses ben Maimon in epistola, qua Messiæ notas aliquot exposuit. Omnium vero aperte & R. Selomoh, qui non solum hæc accomodat Messiæ; sed ne alteri quidem accomodari posse definit. Et tamen Judæi recentiores quidam, spreta Magistrorum suorum auctoritate, Esdram, alii Judam Machabæum istic notatum autumant; alii vero, quos affectatur Grotius, Zorobabelem. Perperam tamen omnes. Nam quis illorum Rex fuit? quis Zorobabelem pauperem fuisse dicat, vel Esdram, vel Machabæum? quis demum illorum pacem Gentibus dedit, asino vectus est, & potestatem a mari usque ad mare, & a flumine usque ad terminos terræ habuit? At Jesus noster Rex est & Dominus omnium, de quo Angelus Lucæ cap. 1. v. 32. ad Mariam Virginem ejus Matrem: *hic erit ma-*

gnus, & filius Altissimi vocabitur, & dabit illi Dominus Deus sedem David patris ejus, & regnabit in domo Jacob in æternum, & regni ejus non erit finis. Qui de seipso ait Matthæi cap. 28. v. 18. *data est mihi omnis potestas in cælo, & in terra*. Ipse nihilominus pauper, qui de se ait Matthæi cap. 8. v. 20. *vulpes foveas habent, & volucres cæli nidos; filius autem hominis non habet ubi caput reclinet*. De quo Paulus 2. ad Corinthios cap. 8. v. 9. *scitis enim gratiam Domini nostri Jesu Christi, quoniam propter vos egenus factus est, cum dives esset, ut illius inopia vos divites essetis*. Ipse pacem hominibus dedit: de quo Zacharias Joannis Baptistæ pater: *illuminare his qui in tenebris & umbra mortis sedent, ad dirigendos pedes nostros in viam pacis*. Quo nato pax in terra nuntiata ab Angelo est hominibus bonæ voluntatis. Qui post resurrectionem suam Discipulis, & in ipsis fidelibus omnibus pacem dedit, dicens: *pax vobis. In cujus sanguine nos qui aliquando eramus longe, facti sumus prope: ipse enim est pax nostra*, ut ait Paulus ad Ephesios cap. 2. v. 13. & 14. Ejus denique potestas per totum orbem porrigitur, de quo a Davide prædictum est Psalm. 71. *& dominabitur a mari usque ad mare, & a flumine usque ad terminos terræ . . . . . Et adorabunt eum omnes Reges terræ: omnes Gentes servient ei*. De quo Apocalypsis cap. 11. v. 15. *& septimus Angelus tuba cecinit, & factæ sunt voces magnæ in cælo, dicentes: factum est regnum hujus mundi Domini nostri, & Christi ejus, & regnabit in sæcula sæculorum: Amen.*

Isaiæ cap. 42. v. 1. & sequent. הן עבדי אתמך בו בחירי רצתה נפשי נתתי רוחי עליו משפט לגוים יוציא: לא יצעק ולא ישא ולא ישמיע בחוץ קולו: קנה רצוץ לא ישבור ופשתה כהה לא יכבנה לאמת יוציא משפט *ecce servus meus, suscipiam eum: electus meus, complacuit anima mea: dedi spiritum meum super eum, judicium Gentibus proferet. Non clamabit, & non elevabit, nec audietur vox ejus foris. Calamum quassatum non conteret, & linum caligans non extinguet: in veritate educet judicium*. Messiam quidem hic notari traditur in Thargum Jonathanis Uzielis filii, & in Midrasch Theillim, & apud Rabbinos plerosque, præsertim R. Davidem Kimchi, & Maimonidem. Isaiæ cap. 53. v. 7. & sequent. נגש והוא נענה ולא יפתח פיו כשה לטכח יובל וכרחל לפני נהיה נאלמה ולא יפתח פיו . . . . . והוא חטא רבים נשא ולפשעים יפגיע *oppressus est, & ipse afflictus est, & non aperiet os suum, sicut agnus ad occisionem ducetur, & sicut ovis coram*

ram tondentibus eam obmutuit, & non aperiet os suum . . . . . Et ipse peccatum multorum tulit, & pro prævaricatoribus orabit. Quibus paria leguntur Psalm. 21. v. 7. Psalm. 34. v. 14. Psalm. 39. v. 18. Psalm. 68. v. 30. Psalm. 87. v. 16. Psalm. 88. v. 39. & sequent. Isaiæ cap. 9. v. 6. & 7. cap. 50. v. 5. Jeremiæ cap. 11. v. 19. Aggæi cap. 2. v. 8. & 10.

Jam vero, ut ad alterum positæ assertionis caput accedam: Messiam a perfidis morte plectendum, adeo clare Divini Vates prædixerunt, ut mirari omnino subeat, Judæos eo in capite cæcutiisse. Isaiæ cap. 53. v. 7. כשה לטבח יובל *sicut agnus ad occisionem ducetur*. Et v. 8. מעצר וממשפט לקח ואת דורו מי ישוחח כי נגזר מארץ חיים: *de coarctatione, & de judicio sublatus est, & generationem ejus quis enarrabit? quoniam abscissus est de terra viventium*. Danielis cap. 9. v. 26. ואחרי השבעים ששים ושנים יכרת משיח *& post hebdomadas sexaginta duas occidetur Christus*. Zachariæ cap. 12. v. 10. ושפכתי על בית דויד ועל יושב ירושלם רוח חן ותחנונים והביטו אלי את אשר דקרו *& effundam super domum David, & super habitatores Jerusalem spiritum gratiæ, & precum, & aspicient ad me quem transfixerunt*. Quibus similia leguntur Psalm. 21. v. 15. & sequent. Psalm. 34. v. 7. & seq. Psalm. 87. v. 3. & seq. Psalm. 88. v. 39. & seq. Jeremiæ cap. 11. v. 9. Zachariæ cap. 13. v. 6. & 7.

Non sine observatione prætermittendum est, quod libro 4. operis sui, cap. 18. refert noster Galatinus, ex R. Simeone ben Johai, magnæ antiquitatis, & eximiæ inter suos auctoritatis magistro, editisque lucubrationibus percelebri. Hic in libro Mehkar hossodoth, idest, qui investigatio secretorum nuncupatur, Oseam inducit hominum peccata deflentem, quorum gratia filium suum corpore humano indutum Deus esset missurus: homines vero adversus salutaria ipsius præcepta contumaces letho eum essent daturi. Sic enim ait: *væ illis, væ illis impiis, iniquis, homicidis Israel, ob quorum amorem ut peccatum eis dimittat, Deus mittet filium sanctum suum, & carne humana se induet. Væ illis, quia propter suas pravas actiones, rebelles erunt huic Messiæ, nec respicient dicta, quibus imperabit ut mundificentur aqua mundificationis ad expianda peccata; nec incedent in viis Deo gratis, nec facient ejus voluntatem, sed ingenti iracundia perciti ipsum occident*. Hæc laudatus Rabbi. Gravior est etiam Josephi auctoritas, qui lib. 18. antiquitatum Judaicarum cap. 5. & Christi Jesu mortem, & mortis genus, disertis verbis scripsit. Quæ fatentes tanti nominis Doctores minutorum Rabbinorum turbæ possumus

mus opponere. Neque desunt inter illos, qui propter supplicio affectum Jesum, Hebræos fateantur fuisse male multatos, cladibus affectos, in omnes terras dissipatos, & Mosaicam legem abrogatam.

Verum nec id satis. Nedum moriturum Messiam Prophetæ prænuntiarunt, sed etiam mortis genus, quo Jesus noster affectus est, omnesque oppetitæ mortis circumstantias adeo minutatim atque distincte descripsere, ut illum ipsum intento veluti digito præmonstrasse, nec tam prophetias, quam Evangelium adornasse videantur.

Sed vultis rem totam distincte, ac per partes expendamus? Præsto sum.

Jesus contemptus & odio habitus. Psalm. 21. v.8. כל ראי ילעיגו לי יפטירו בשפה יניעו ראש *omnes videntes me subsannabunt me, emittent per labium, movebunt caput*. Psalm. 108. v. 1. & sequent. אלהי תהלתי אל תחרש : כי פי רשע ופי מרמה עלי פתחו דברו אתי לשון שקר : ודברי שנאה סבבוני וילחמוני חנם : תחת אהבתי ישטנוני ואני תפלה : וישימו עלי רעה תחת טובה ושנאה תחת אהבתי. *Deus laudis meæ ne taceas, quia os impii, & os dolosi super me aparuerunt, & locuti sunt mecum lingua mendacii: & verbis odii circumdederunt me, & expugnaverunt me gratis. Pro dilectione mea adversati sunt mihi, & ego orabam: & posuerunt adversum me malum pro bono, & odium pro dilectione mea*. Et alia id genus pene sexcenta, quæ commemorare longum esset. Legat, qui volet Psalm. 17. v. 41. & sequent. Psalm. 34. v. 16. & sequent. Psalm. 68. v. 5. & sequent. Psalm. 88. v. 42. & sequent. Psalm. 117. v. 22. Isaiam cap. 8. v. 13. & 14. cap. 52. v. 14. cap. 53. v. 3. Jeremiam cap. 3. v. 20. cap. 32. v. 23. Threnor. cap. 3. v. 30. Principes Judæorum congregantur adversus Jesum. Psalm. 2. v. 2. יתיצבו מלכי ארץ ורוזנים נוסדו יחד על יהוה ועל משיחו *astabunt Reges terræ, & Principes consiliabuntur simul, adversus Dominum, & adversus Christum ejus*. Figurate vero Psalm. 21. v. 13. & 14. סבבוני פרים רבים אבירי בשן כתרוני : פצו עלי פיהם אריה טרף ושאג *circumdederunt me vituli multi, tauri Basan cinxerunt me. Aperuerunt super me os suum, sicut leo rapiens, & rugiens*. Et v. 17. כי סבבוני כלבים עדת מרעים הקיפוני *quoniam circumdederunt me canes, congregatio malignantium circumdedit me*.

Jesus noster venditur triginta argenteis. Zachariæ cap. 11. v. 12. וישקלו את שכרי שלשים כסף *appenderunt mercedem meam triginta argenteis*.

Jesus

Jeſus noſter conſpuitur, & cæditur. Iſaiæ cap. 50. v. 6. גוי נתתי למכים ולחיי למרטים פני לא הסתרתי מכלמות ורק *corpus meum dedi percutientibus, & genas meas vellentibus: faciem meam non abſcondi ab ignominiis, & ſputo*. Et cap. 53. v. 5. והוא מחולל מפשעינו מדכא מעונותינו *& ipſe vulneratus eſt propter prævaricationes noſtras; attritus eſt propter iniquitates noſtras*. Jeremiæ Threnorum cap. 3. v. 30. יתן למכהו לחי ישבע בחרפה *dabit percutienti ſe maxillam, ſaturabitur in probro*. Micheæ cap. 4. v. 14. בשבט יכו על הלחי את שפט ישראל *in virga percutient maxillam judicis Iſrael*. Quo titulo non alium niſi Meſſiam intellectum voluit: de quo Iſaiæ cap. 33. v. 22. dicitur: יהוה שפטנו יהוה מחקקנו יהוה מלכנו הוא יושיענו *Dominus judex noſter, Dominus legiſer noſter, Dominus Rex noſter, ipſe ſalvabit nos*.

Jeſus noſter a falſis teſtibus accuſatur. Pſalm. 26. v. 12. אל תתנני בנפש צרי כי קמו כי עידי שקר ויפח חמס *ne tradas me voluntati hoſtium meorum; quoniam ſurrexerunt in me teſtes mendaces, & locuti ſunt iniquitatem*. Pſalm. 34. v. 11. יקומון עדי חמס אשר לא ידעתי ישאלוני *ſurgent teſtes mendaces, quæ ignorabam, interrogabant me*. Quibus paria leguntur Pſalm. 40. v. 6. & ſequent. Pſalm. 63. v. 1. & ſequent. Pſalm. 108. v. 1. & ſequent. Pſalm. 139. v. 1. & ſequent.

Jeſus noſter accuſatus ſilet. Iſaiæ cap. 53. v. 7. נגש והוא נענה ולא יפתח פיו כשה לטבח יובל וכרחל לפני גזזיה נאלמה ולא יפתח פיו *oppreſſus eſt, & ipſe afflictus eſt, & non aperiet os ſuum, ſicut agnus ad occiſionem ducetur, & ſicut ovis coram tondentibus eam obmutuit, & non aperiet os ſuum*.

Jeſus bajulat Crucem. Iſaiæ cap. 9. v. 6. ותהי המשרה על שכמו *& erit principatus ſuper humerum ejus*.

Jeſum ad montem Calvariæ procedentem, & Cruci, quam geſtabat, ſuffigendum, plangentium, & lamentantium turba comitatur. Zachariæ cap. 12. v. 10. ושפכתי על בית דויד ועל יושב ירושלם רוח חן ותחנונים והביטו אלי את אשר דקרו וספדו עליו כמספד על היחיד והמר עליו כהמר על הבכור *& effundam ſuper domum David, & ſuper habitatores Jeruſalem ſpiritum gratiæ, & precum, & aſpicient ad me quem transfixerunt: & plangent ſuper eum veluti ſuper unigenitum, & amaritudine afficientur ſuper eum, ſicut amaritudine afficitur quiſpiam ſuper primogenitum*.

Jeſus noſter ligno Crucis ſuſpenditur, pedibus, manibuſque confoſſis.

fossis. Psalm. 21. v. 17. כרו ידי ורגלי *foderunt manus meas, & pedes meos*. Zachariæ c. 12. v. 10. והביטו אלי את אשר דקרו *& aspicient ad me quem transfixerunt*. Et cap. 13. v. 6. מה המכות האלה בין ידיך ואמר אשר הכיתי בית מאהבי *quid sunt plagæ istæ in medio manuum tuarum? & dicet, his plagatus sum in domo diligentium me.*

Jesus noster inter duos latrones Cruci suffigitur, & pro suis tortoribus Deum rogat. Isaiæ cap. 53. v. 12. ואת פשעים נמנה והוא חטא רבים נשא ולפשעים יפגיע *& cum prævaricatoribus numeratus est: & ipse peccatum multorum tulit, & pro prævaricatoribus orabit.*

Jesu nostri de Cruce pendentis vestimenta sorte dividuntur. Psalm. 21. v. 19. יחלקו בגדי להם ועל לבושי יפילו גורל *divident vestimenta mea sibi ipsis, & super vestem meam projicent sortem.*

Jesus in Cruce sitiens felle & aceto potatur. Psalm. 68. v. 22. ויתנו בברותי ראש ולצמאי ישקוני חמץ *& dederunt in escam meam fel, & in siti mea potaverunt me aceto*. Quo non alienum est referre etiam Jeremiani Trenorum cap. 3. v. 5. בנה עלי ויקף ראש ותלאה *ædificavit adversum me, & circumdedit felle, & labore*. Et v. 15. השביעני במרורים הרוני לענה *saturari fecit me in amaritudinibus, inebriare fecit me absinthio*. Et v. 19. זכר עניי ומרודי לענה וראש *recordare afflictionis meæ, & ploratus mei, absinthii, & fellis.*

Jesus noster pendens in Cruce subsannatur a prætereuntibus. Psalm. 21. v. 7. & sequent. ואנכי תולעת ולא איש חרפת אדם ובזוי עם : כל ראי ילעיגו לי יפטירו בשפה יניעו ראש : גל אל יהוה יפלטהו יצילהו כי חפץ בו *& ego sum vermis, & non homo, opprobrium hominum, & contemptus populi. Omnes videntes me subsannabunt me, emittent per labium, movebunt caput. Devolvit se ad Dominum, eruat eum, eripiat eum, quoniam complacuit in eo*. Prorsus Davidem dicas animo hæc versasse, quæ narrat Matthæus cap. 27. v. 39. & sequent. his verbis: *prætereuntes autem blasphemabant eum moventes capita sua, & dicentes: vah, qui destruis Templum Dei, & in triduo illud reædificas, salva temetipsum; si filius Dei es, descende de Cruce. Similiter & Principes Sacerdotum illudentes cum Scribis, & Senioribus, dicebant: alios salvos fecit, seipsum non potest salvum facere: si Rex Israel est, descendat nunc de Cruce, & credimus ei: confidit in Deo, liberet nunc, si vult eum: dixit enim, quia filius Dei sum*. Iterum Psalm. 108. v. 25. ואני הייתי חרפה להם יראוני יניעון ראשם *& ego fui opprobrium eis: viderunt me,*

me, *& moverunt caput suum*. Quibus similia leguntur Psalm. 3. v.2. & 3. Psalm.34. v.15. & sequent. Psalm.68. v.18. & seqnent. Psalm.88.v.52. Threnorum Jeremiæ cap. 3.v.14.46.61. & sequent.

Moriente Jesu sol obscuratur, & terra movetur. Amosi cap. 8. v. 8. & 9. העל זאת לא תרגז הארץ ואבל כל יושב בה . . . . . והיה ביום ההוא נאם אדני יהוה והבאתי השמש בצהרים והחשכתי לארץ ביום אור *nunquid super isto non commovebitur terra*, *& lugebit omnis habitator ejus? . . . . . Et erit in die illa*, *dixit Dominus Deus*, *& occumbere faciam solem in meridie*, *& tenebrescere faciam terram in die luminis*.

Latus Jesu perfoditur. Zachariæ cap. 12. v. 10. והביטו אלי את אשר דקרו *& aspicient ad me quem transfixerunt*.

Nunc autem Messiam hominum noxas Sanguine suo expiaturum fuisse (quod postremum præsentis instituti caput est) ex secundo sponte sua fluere nemo non videt. Cum id non ob aliud nonnulli Hebræi negent, quam quod Messiam neutiquam moriturum opinentur. Duo tantum ad causæ cumulum addam Prophetarum oracula, quæ aliorum bene plurium instar erunt. Isaiæ cap. 53. v. 4. & sequent. ita legitur: אכן חליינו הוא נשא ומכאבינו סבלם ואנחנו חשבנהו נגע מכה אלהים ומענה : והוא מחולל מפשעינו מדכא מעונותינו מוסר שלומינו עליו ובחברתו נרפא לנו : כלנו כצאן תעינו איש לדרכו פנינו ויהוה הפגיע בו את עון כלנו . . . . . מפשע עמי נגע למו . . . . . ועונתם הוא יסבל . . . . . והוא חטא רבים נשא *vere languores nostros ipse tulit*, *& dolores nostros ipse portavit: & nos reputavimus eum plagatum*, *percussum a Deo*, *& humiliatum. Ipse autem vulneratus est propter prævaricationes nostras*, *attritus est propter iniquitates nostras: disciplina pacis nostræ super eum*, *& livore ejus sanati sumus. Omnes nos quasi ovis erravimus*, *unusquisque ad viam suam declinavit: & Dominus incurrere fecit in eum iniquitatem omnium nostrum . . . . . Propter prævaricationem populi mei*, *plaga fuit ei . . . . . Et iniquitates ipsorum ipse portabit . . . . . Et ipse peccatum multorum tulit*. Zachariæ cap. 9. v. 11. גם את בדם בריתך שלחתי אסיריך מבור אין מים בו *etiam tu in sanguine fœderis tui: emisi vinctos tuos de cisterna*, *in qua non est aqua*. Ad cujus oraculi intellectum, animadvertendum est has dictiones *tu*, & *tuos*, istic positas fœminini esse generis: ideoque eas ad aliquod fœmininum, cujus mentio præcesserit, referri opus esse. Ad quod autem sint referendæ, ostenditur eodem in capite, cum paulo ante hæc verba, v.9. dicitur:

tur: *exulta valde filia Sion, jubila filia Jerusalem: ecce Rex tuus veniet tibi justus, & salvatus ipse*. Ubi Jonathæ Chaldaica translatio sic habet: *exulta gaudio Ecclesia Sion, jubila Ecclesia Jerusalem*. Filiam igitur, idest, Ecclesiam Sion & Jerusalem, quæ typus erat Ecclesiæ Christi, alloquitur Deus: idcirco ad eam referenda sunt hæc pronomina ibi posita, cum dicitur: *etiam tu in sanguine fœderis tui: emisi vinctos tuos de cisterna, in qua non est aqua*. Fœdus autem init Ecclesia cum Deo per Sanguinem Christi, cujus beneficio libertatem sunt adepti, qui diaboli, inferorum, ac peccati vinculis obstricti tenebantur. Porro pro eo, quod habet Hebraicum exemplar, *emisi*, apud Jonathanem legitur, *redimam*, quod pro futuro sumendum est, *emittam*, *redimam*. Ita ut totius commatis sit intellectus: ad te vero quod pertinet, o Ecclesia, propter fœdus, quod tecum per filii mei sanguinem contraham, natos tuos inferorum, dæmonum, ac peccatorum vinculis oppressos captivitate eximam. Præterea, cum initio hujusce dissertationis demonstraverim, nonum comma ac decimum capitis noni Zachariæ ad Messiam esse referenda, ne Judæis quidem dissentientibus, eademque in Jesu evenisse, juxta Evangelistarum Matthæi cap. 21. & Joannis cap. 12. testimonia; plane consectarium est, undecimum quoque ac duodecimum comma, una serie prioribus connexa, in Christo Jesu fuisse completa; quippe qui & morti proximus Sanguinem suum dixit, *pro multis*, idest, pro omnibus *effusum iri in remissionem peccatorum*, Matthæi cap. 26. v. 28. Quæ cum ita sint, manifestum est nihil hic videre eos, qui aliorsum prædictionem Zachariæ convertunt; quique vel agnum paschalem, vel circumcisionem, aut sanguinem victimarum, aut Ægyptiacam servitutem, aut denique captivitatem Babylonicam oraculo hoc notari opinantur. Hæc quippe omnia ad summum typus fuere hujusce liberationis, quæ per sanguinem fœderis fieri debebat, non res ipsa designata. Hæc ad præsens institutum satis superque. Qui plura desiderat, legat Genes. cap. 49. v. 11. Job. cap. 19. v. 25. Psalm. 13. v. 7. Psalm. 33. v. 23. Psalm. 106. v. 2. 13. & 20. Psalm. 110. v. 9. Psalm. 129. v. 7. & 8. Isaiam 42. v. 6. & 7. cap. 44. v. 22. & 23. cap. 45. v. 17. cap. 49. v. 7. 8. 9. & 26. cap. 52. v. 3. cap. 59. v. 20. cap. 63. v. 1. 4. 8. 9. & 16. Jerem. cap. 31. v. 10. & 11.

Quid plura? Hominum noxas quodam sensu laturum Messiam Judæo-

Judæorum aliqui fatentur. Teſtis R. Samuel in *libro ſanctorum:* teſtis & R. Abraham Scalom, in *habitaculo pacis*. Quocirca Meſſias a Judæis dicitur, *vir expiationis*, ut habetur in *Midraſch ſie Aſſirim*. Meſſiam quoque laboribus, pœniſque attritum, nobis felicitatem promeriturum traditur in *Siphre*. Traditur & in libro *Zoar* neceſſe eſſe, Meſſiam pro Iſraelitica Gente pœnas dare, quod ſolus ille Deo ſatisfacere poſſit. Sciunt præterea Talmudiſtæ in libro *Joma* nonniſi effuſo ſanguine peccata iri condonatum: atqui proxime probatum eſt, per Meſſiam nos ſolutum iri peccatis: unde ſequitur per Meſſiæ Sanguinem homines veniam peccatorum eſſe adepturos.

Sed finis eſto. Namque omnia perſequi & colligere, infinitum eſt, & vero, ſupervacaneum. Atque hæc quidem ſunt de Meſſia Prophetarum oracula, quæ ad unum omnia fuiſſe in Jeſu noſtro completa Evangeliſtæ vitam ejus deſcribentes, clariſſime demonſtrarunt. Quid igitur ad hæc reſpondere poſſunt Judæi? Nonne tanta rerum evidentia convicti penitus obmuteſcent? An tantam eſſe Prophetarum & Evangeliſtarum, veteris ac novi Teſtamenti convenientiam, concordiam, concentum, atque conſenſum non obſtupeſcent? Etenim verum eſt, unam eſſe legis & Evangelii ſubſtantiam: neque aliud eſſe vetus Teſtamentum, quam prædictionem & promiſſionem novi: nec novum aliud eſſe, niſi veteris complementum. An poſſunt Judæi oſtendere ſupradicta Vatum oracula in unum aliquem præter Jeſum noſtrum conveniſſe? Quæ, ſi quis caſu dumtaxat atque fortuito ea in Dominum noſtrum ſimul concurriſſe dicat, caſum ejuſmodi in rerum natura aliquando contigiſſe oſtendat: cujus nulla omnino exempla vel recens præbet, vel vetus hiſtoria. Deinde, caſus & fortuna, ut notum eſt, ordinem neſciunt, nec modum tenent ullum, nec habent conſtantiam: in uno aut altero ſemel atque iterum locum habere poſſunt, in omnibus autem, & ſemper, & eodem modo verſari non poſſunt. Porro cum Vatum oracula, quaſi certa quædam ſigna, & indicia Meſſiæ, eo præmiſſa fuerint a Deo, ut his Meſſias, mortali & patibili carne indutus tectuſque in mundo aliquando venturus, ſine ullo errore, ac ſine magna difficultate deprehendi, & cognoſci poſſet: hæc autem ſigna, & tanquam inſignia Meſſiæ, plane omnia in Jeſu noſtro reperta fuerint, neceſſe eſt confiteri Judæos, aut Jeſum noſtrum verum eſſe Meſſiam,

R 2 aut

aut fuiſſe illa ſigna incerta & fallacia: videlicet, quibus homines, etiam docti & acuti, citra ipſorum culpam in graviſſimum errorem colendi pro Meſſia, non verum Meſſiam inducerentur.

Nonnulla, ut ſuſpicor, ex laudatis Vatum oraculis cavillabuntur Judæi, quæ de Meſſia neutiquam dicta volent, ac longe alio referenda contendent. Et quidem illorum aliqui vitiligant contra verſionis vulgatæ lectionem, ad Pſalm. 21. v. 17. *foderunt manus meas, & pedes meos*; additiſque pro arbitrio punctis, & literis hebraicis, non utique כרו *caru foderunt*, ex Hebraica dictione כרה *cara*, legi volunt, ne victi tam patenti teſtimonio videantur; ſed כארי *caari* ſicut leo, ex dictione ארי *ari*, legi malunt: ex quo nullus certo ſenſus elicitur. Quid etenim ſibi vult, *ſicut leo manus meas, & pedes meos?* cum præcipue quæ ſequuntur minime congruant: אספר כל עצמותי המה יביטו יראו בי *dinumerabo omnia oſſa mea: ipſi aſpicient, & inſpicient in me*, quæ tam præclare cum priori vulgatæ lectionis parte conſentiunt. Sed & audaces interpolatores objurgant ſeptuaginta Senes, vetuſtiſſimi Interpretum omnium Scripturæ Sacræ qui ſuperſunt, Chriſto Jeſu antiquiores; qui *caru*, non *caari* in Hebraico textu legerunt; *foderuntque*, non *ſicut leo* verterunt: ita ſane adamuſſim reddidere: *foderunt manus meas, & pedes meos*. Sic etiam Syrus Interpres, ſic Arabs, ſic verſio Æthiopica, qua Indi atque Æthiopes utuntur. Et Hebraicum Pſalmorum exemplar vidiſſe ſe teſtatur Iſaac Levita, adverſus Lindanum ſcribens, in quo ſcriptum erat *caru*, adtexta ad oram voce *caari*; ſic enim ait lib. 2. *idem ego ipſa veritate & conſcientia bona teſtari poſſum, quod hujuſmodi pſalterium apud avum meum viderim, ubi in textu ſcriptum erat caru, & in margine caari*. Rabbini etiam qui Maſſoræ allaborarunt, varietatem lectionis in eo textu, ipſo fatente Jacobo ben Chaiim agnoverunt; ſiquidem eorum etiam ætate, qui ſæculo 10. vel 11. eandem Maſſoram excoluerunt, legebatur in textu *caru*, & ad oram quorundam exemplarium *caari*. Ex ora deinde in textum, vox illa, utpote quæ Judæorum præjudiciis maxime faveret, irrepſit, quam proinde RR. Kimchi, Salomon Jarchi, Aben-Ezra, aliique Scriptores ſæculi poſterioris probandam, ac alteri, nempe *caru*, præferendam cenſuerunt. Noſcunt tamen Kimchi, & Aben-Ezra varietatem *caari*, &

caru

caru in vetustissimis Hebræorum codicibus. Ex quibus omnibus, illud nobis statuendum, I. lectionem quam servant septuaginta, & Vulgata, *foderunt manus meas, & pedes meos*, veterem esse, & genuinam textus Hebraici. II. Alteram lectionem *caari*, *quasi leo*, post Massoretas, preferri cæpisse. III. Ne quidquam in contrarium molientibus Rabbinis, vestigia quædam *caru* postremo sæculo mansisse. IV. Tandem, probabile esse fraude & iniquitate Judæorum factum, ut lectio *caari*, quæ casu aliquo in textum irrepsisse potuit, confirmaretur, probareturque, genuina altera *caru* abolita penitus & abjecta: quod & alibi sæpe factum ab iis, alii observant.

At R. Lipman in suo Nitzachon crimen in Christianos retorquet, atque oraculum hoc ab iis depravatum ex eo demonstrat, quod a Judæorum moribus aborreret, noxios Cruci suffigere. Abjicienda est igitur, ait ille, lectio, *foderunt manus meas, & pedes meos*; & retinenda altera, de qua in Hebræo: *sicut leo manus meas, & pedes meos.*

Verum quo tempore occisus est Jesus noster, jus vitæ & mortis Judæis erat ablatum: *nobis*, inquiunt, *non licet interficere quemquam*. Joan. cap. 18. v. 31. At judicia capitalia & supplicia moribus Romanis tunc exercebantur: Romanorum autem in moribus positum fuisse ut damnati homines in Cruce clavis affigerentur, tam certum est, quam quid aliud. Supplicium ergo juxta alienos mores Jesu nostro irrogandum esse prophetico spiritu novit, & prædixit Regius Vates, irrogatum Evangelistæ retulerunt. Et ut hoc supplicio afficeretur Adorandus noster Salvator magnis conviciis, ac repetitis clamoribus Hebræi poposcere a Pilato, & vi tantum non adhibita impetrarunt. Ceterum a Lipmani criminatione Christianos satis vindicant septuaginta Interpretes, qui ut jam observavimus, *caru* legerunt, & verterunt, *foderunt*. Præterea, Jesum Christum supplicio suo clavis affixum fuisse nemo, ne adversariis quidem refragantibus, dubitat. Davidicum ergo vaticinium eo, quo nos accipimus, sensu ad litteram implevit.

Cavillantur pari audacia veteres, & recentiores quidam Judæi toties jam laudatum oraculum Isa cap. 53. v. 4. & sequent. *vere languores nostros ipse tulit, & dolores nostros ipse portavit*, &c. Quod non de promisso Messia dictum existimant, sed de Judaica Gente.

Ve-

Verum cujusnam dolores portavit Judaica Gens? ecquis ejus livore sanatus est? an morti oblata est, quia ipsa voluit? an iniquitatem non fecit, nec dolus fuit in ore ejus? an Deus Judaicam Gentem propter peccata populi sui percussit? an vulnerata est propter iniquitates nostras, attrita est propter prævaricationes nostras? an pro transgressoribus rogat? quis denique non ex loci hujus lectione satis intelligit, non agi hic de multis hominibus, sed de uno aliquo? Ex iis igitur, atque aliis multis in hac prophetia contentis, quæ nullatenus Judaicæ Genti convenire possunt, perspicuum est, ipsum Dei servum, de quo Sacer Vates loquitur, ipsam Judaicam Gentem minime esse posse. De Josia felicius non interpretatur R. Isaac Abrabaniel; cum nec volens interierit, nec ad certam mortem iverit, aut illatam silentio sustinuerit, imo eam fugere conatus sit, & prælio ad curandum vulnus excesserit, ut constat ex lib. 2. Paralipomenon cap. 35. v. 23. nec ejus livore sanatos esse Judæos dici possit; nec animam suam posuerit pro peccato, neque cum sceleratis reputatus sit; neque peccata multorum tulerit.

De Jeremia rectius non explicant Saadias Gaon, Grotius, & alii. Nam Jeremiæ livore Judaica natio non est sanata, nec pacem ille Judæis procuravit, nec sponte morti se obtulit, & non aperuit os suum: imo in carcerem missus a Phassure, indeque eductus, maximas illi calamitates vaticinabatur, de suis ipse miseriis conquerebatur, & natalem suum execrabatur, Jeremiæ cap. 20. A Sacerdotibus, & Prophetis comprehensus, & supplicio proximus, mortem deprecabatur: *verumtamen*, inquit, cap. 26. v. 15. *scitote, quod si occideritis me, sanguinem innocentem tradetis contra vosmetipsos, & contra civitatem istam, & habitatores ejus*. A Sedecia e carcere eductus, dixit illi: *quid peccavi tibi, & servis tuis, & populo huic, quia posuistis me in domum carceris? . . . . . Et nunc audi obsecro Domine mi Rex: cadat obsecro deprecatio mea in conspectu tuo, & ne redire facias me in domum Jonathan Scribæ, ne moriar ibi*, cap. 37. v. 18. & 20. Et de lacu lutoso jussu ejusdem Regis eductus, ab eoque de futuris interrogatus, dixit illi: *si annuntiavero tibi, nunquid non interficies me?* cap. 38. v. 15. Jeremiæ igitur ista non conveniunt: *oppressus est, & ipse afflictus est, & non aperiet os suum*. Nimius essem, si singula persequerer: desinam in his quatuor: *vere languores nostros ipse tulit*,

&

& dolores nostros portavit . . . . . Et ipse vulneratus est propter prævaricationes nostras, attritus est propter iniquitates nostras . . . . . Propter prævaricationem populi mei, plaga fuit ei . . . . Et iniquitates ipsorum ipse portabit : quæ certe Jeremiæ non possunt accomodari.

At, ut erudite, sapienterque animadvertunt perdocti nonnulli Theologi, Jesu nostro partes omnes istius oraculi congruunt. Ipse propter prævaricationes nostras vulneratus est, & attritus est propter iniquitates nostras, & factus pro nobis maledictum, nos de maledicto liberavit. Disciplina pacis nostræ super eum est. Quod enim nos pro nostris sceleribus sustinere debebamus, ille pro nobis passus est, *pacificans per Sanguinem Crucis ejus, sive quæ in terra, sive quæ in cœlis sunt*, Colosens. cap. 1. v. 20. Sicut agnus ad occisionem ductus est, & sicut ovis coram tondentibus eam obmutuit, & non aperuit os suum. *Etenim Pascha nostrum immolatus est Christus*, 1. Corinth. cap. 5. v. 8. Quem Joannes Baptista monstrabat dicens: *ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccatum mundi*, Joan. cap. 1. v. 29. Qui & in Apocalypsi cap. 5. *agnus occisus* sæpe nominatur. Cum enim nesciret peccatum, pro nobis peccatum factus est. Et sicut agnus cum ducitur ad victimam, non repugnat, sic ille passus est voluntarie: ut destrueret eum, qui mortis habebat imperium, humilians se usque ad mortem, & mortem Crucis. Hic agnus est, in cujus typo immolabatur agnus, cujus cruor linitus in postibus, exterminatorem fugabat Ægypti, Exodi cap. 12. Qui non solum Sanguine suo nos redemit, sed & lanis operuit, ut algentes infidelitate calefaceret veste sua, & audiremus Paulum nobis loquentem: *quicumque enim in Christo baptizati estis, Christum induistis*, ad Galat. cap. 3. v. 27. Hoc Isaiæ vaticinium cum eunuchus Reginæ Candacis in curru legens non intelligeret, de Jesu Christo, interprete Philippo, intellexit, Actuum cap. 8. v. 30. & sequent. De Christo hoc oraculum pariter explicat Petrus Epist. 1. cap. 2. v. 21. & sequent. *Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum, ut sequamini vestigia ejus: qui peccatum non fecit, nec inventus est dolus in ore ejus: qui cum malediceretur, non maledicebat: cum pateretur, non comminabatur: tradebat autem judicanti se injuste: qui peccata nostra ipse pertulit in corpore suo super lignum: ut peccatis mortui, justitiæ vivamus: cujus livore sanati estis. Eratis enim sicut oves erran-*

errantes. De illo dixit Propheta: ſicut ovis coram tondentibus eam obmutuit, qui *falſis teſtimoniis oppreſſus*, *nihil reſpondit*. *Et cum diceret illi Pilatus: non audis quanta adverſum te dicunt teſtimonia? Et non reſpondit ei ad ullum verbum*, *itaut miraretur Præſes vehementer*, Matth. cap. 27. v. 13. & 14. Ille cum ſceleratis numeratus eſt, qui Barabbæ ſeditioſo, latroni, & homicidæ poſtpoſitus, eoque dimiſſo, morte turpiſſima damnatus, & in medio duorum latronum crucifixus, Marci cap. 15. v. 27. & 28. *& cum eo crucifigunt duos latrones*, *unum a dextris*, *& alium a ſiniſtris ejus. Et impleta eſt Scriptura*, *quæ dicit: & cum iniquis reputatus eſt*. Pro prævaricatoribus rogavit, qui in Cruce pendens dixit: *Pater dimitte illis: non enim ſciunt quid faciunt*, Lucæ cap. 23. v. 24. Solus ille iniquitatem non fecit, nec dolus inventus eſt in ore ejus, qui dixit Joan. cap. 8. v. 46. *quis ex vobis arguet me de peccato?* Et qui paſſim juſtus, & ſanctus in divinis litteris appellatur. Generationem ejus, ſive divinam & æternam ex Patre, ſive humanam & temporalem ex Virgine, quis enarrabit? Nemo pro myſterii incomprehenſibilis altitudine & dignitate. Dedit impios pro ſepultura ſua, & divitem pro morte ſua: impiorum nomine Ethnicorum multitudo ſignificatur, qui antea Dei hoſpites erant Teſtamenti, & ſine Deo vero in hoc mundo: divitis vero nomine populus Judaicus, cujus erat Teſtamentum, & legislatio, & Prophetæ. Chriſtus ergo paſſus eſt & ſepultus, ut ex utroque populo ſibi Eccleſiam congregaret. Poſtquam mortem obiit pro hominum peccatis, videt ſemen longævum, omnes, *quibus dedit poteſtatem filios Dei fieri*, *qui credunt in nomine ejus*, *& ex Deo nati ſunt*, Joan. cap. 1. v. 12. *Quos in gloriam adducit*, *ut auctor ſalutis*, Hebræor. cap. 2. v. 10. Denique, quia labores pertulit graviſſimos, Deus diſpertivit illi plurimos, impleto quod alibi de illo prænuntiatum eſt: *poſtula a me*, *& dabo tibi Gentes hæreditatem tuam*, *& poſſeſſionem tuam terminos terræ*, Pſalm. 2. v. 8. Et fortium ſpolium diviſit: *delens quod adverſus nos erat chirographum decreti*, *quod erat contrarium nobis*, *& ipſum tulit de medio*, *affigens illud Cruci; & expolians Principatus*, *& Poteſtates*, *traduxit confidenter*, *palam triumphans illos in ſemetipſo*, Coloſ. cap. 2. v. 14. & 15.

Oppugnandæ quoque noſtræ aſſertionis anſam ſuppeditat Judæis, clariſſima illa Zachariæ prædictio cap. 11. v. 12. *& appenderunt merce-*

mercedem meam triginta argenteis; cum Matthæus cap.27.v.9. eam Jeremiæ tribuat, cum ſit Zachariæ. Deinde, aliis conceptam eſſe verbis apud Prophetam, aliis apud Evangeliſtam, ajunt.

Sane hic locus, difficultatem non levem habet, multorumque torſit ingenia. Quidam enim memoriæ lapſum Matthæo tribuunt, quod de auctore Spiritu Sancto afflato ſuſpicari nefas. Alii, vel ex libro Jeremiæ qui intercidit, vel ex Apocrypho ſub Jeremiæ nomine vulgato, vel ex vaticiniis ore prolatis, & traditione commendatis; non ſcripto proditis, volunt illud Jeremiæ ab Evangeliſta laudatum. S. Hieronymus commentario in Matthæum, Apocryphum Jeremiæ librum Hebraice ſcriptum a Nazaraæ ſectæ homine Hebræo ſecum teſtatur communicatum, in quo teſtimonium illud propriis verbis conceptum extabat. Alii Jeremiæ nomen pro Zachariæ nomine Matthæi memoriæ occurriſſe volunt, afflatu Spiritus Sancti, idque conſiderantem Evangeliſtam reliquiſſe Zachariæ nomen, ut ſignificaret eumdem Spiritum locutum per Prophetas, ideoque unius Vaticinia poſſe alteri tribui. Alii ex Jeremiæ & Zachariæ collatis teſtimoniis Evangeliſtam id expreſſiſſe dicunt, quia Jeremiæ cap. 32. v. 9. legitur, Jeremiam emiſſe agrum ab Hanameel filio patrui ſui, & dediſſe ei argentum, non quidem ſub hoc nomine pretii quod poſitum eſt apud Zachariam, triginta argenteos; verumtamen agri empti mentionem apud Zachariam non extare. Igitur S. Matthæum utriuſque Prophetæ locum, in quo Spiritu Sancto revelante noverat Vaticinium eſſe venditionis Chriſti a Juda proditore, & projectionis pretii ad emendum agrum figuli, in unam ſententiam conflaſſe, & ſub Jeremiæ nomine protuliſſe. Alii reſpondent in hoc Matthæi loco eſſe erratum Scribæ, & pro Zacharia ſcriptum Jeremiam ex librariorum oſcitantia & negligentia, eumque errorem ab uno codice in reliquos propagatum longe majorem exemplarium partem invaſiſſe. Planior ac veriſimilior eruditis quibuſdam viris poſtrema hæc reſponſio videtur. Nam, inquiunt, cum propria nomina contrahere librarii ſoleant, illa Jeremiæ, & Zachariæ ſic videntur expreſſiſſe Ιριας, Ζριας: in his proclive fuit primam nominis utriuſque literam permutare: nam primam in Ιερεμιας, non puſilam & brevem pingebant, quemadmodum nunc Typographi, ſed productam, & bene longam: primam vero in Ζαχαριας, non ſemper ita ſinuatam, & contortuplicatam, uti in

libris editis hodie pingitur, sed a summo ad imum satis directam, paululum inflexam, & prominentem in medio, ansulam in vertice gerentem: quæ si parum accurate notata erant, ζ in I facile degenerabat. Hæc fatebuntur, qui Græca exemplaria versare consueverunt. Ergo apicis similitudine deluso imperito, & supino librario, quod uni, aut alteri codici inhæserat, vitium, in alios ita propagatum est, ut universis propemodum, ac interpretationibus deinde inolesceret: quanquam non in omnibus. Nam nec Jeremiæ, nec Zachariæ nomen præsefert Syriaca Interpretatio, neque Persica, nec Latini Codices quidam, ut viri spectatissimi, ac fide dignissimi testificantur, Augustinus nimirum libro 4. de consensu Evangelistarum cap. 7. noster Liranus, Joannes Benedictus Theologus Parisiensis in scholiis, Rupertus, & alii, quos citat Franciscus Lucas Burgensis in notis ad varias lectiones Editionis Latinæ Evangelii secundum Matthæum, versum 9. capitis 27. expendens. Eorum itaque amplecti possumus solutionem, vel eam præferre sententiam, quæ istic librarii mendum minime deesse arbitratur; vel illam adoptare, quæ putat, locum hunc ex quodam veteri Jeremiæ codice desumptum, qui intercidit, quique ad nos usque minime pervenit.

Quod ad Evangelistæ, & Prophetæ dissonantiam attinet, perspectum est, ad Prophetæ sententiam attendisse Evangelistam, verba ipsa non reddidisse; quemadmodum ab Interpretibus recte observatum est. Atque hunc morem in testimoniis e Scriptura Sacra recitandis tenuisse Evangelistas, & Apostolos hoc loco observat Hieronymus. Idem in libro de optimo genere interpretandi, hanc difficultatem solvens: *absit hoc*, inquit, *de pedissequo Christi dicere* (Matthæum significat) *cui curæ fuit non verba, aut syllabas aucupari, sed sententias dogmatum ponere*. Et lib. 2. in Amosum cap. 5. *in omnibus Scripturis Sanctis*, ait, *observandum est, Apostolos, & Apostolicos viros in ponendis testimoniis de veteri Testamento, non verba considerare, sed sensum*. Matthæus itaque non quidem litteram ipsam Prophetæ ad unguem persecutus est, ac satis fuit illi afferre prophetiæ sensum, eumque argumento suo accommodare.

Quæritur apud Zachariam Deus mercedem suam triginta argenteis esse appensam: atque tam exiguum, & vili sui pretium indignatus, jubet id Prophetam projicere אל היוצר *el ajozer*, ad figu-

figulum; quod & ab hoc factum est, projectis iis in domum Domini ad figulum. Plane respondet percelebris quidam Theologus, cum iis convenit Matthæus, si sententiam dumtaxat spectes; nec multum abludunt verba. Præterea, prosequitur ille, in Jesum nostrum vaticinationem hanc convenire, præter Matthæi auctoritatem, persuadent accurate designata venditio, pretium venditionis, & numerus, ac projectio nummorum, locus etiam projectionis, ac nomen loci. Quæ si in Zachariæ tempora conferas, vix sane, ac ne vix congruent: nam quid hoc esse dicas, Deum pretio æstimari se voluisse ab Israelitis; ac illos æstimatione Dei facta, triginta argenteos Dei pretium appendisse? Sin hæc in allegoriam trahere velis, nonnisi adhibita vi id efficies. Quid hoc vero est, quod fieri jubet Deus, projici pretium illud ad figulum? Nam quod ajunt nonnulli, agrum fuisse, in quem projiciebantur fracta Templi fictilia, gratis omnino dicitur, nec rationi convenit: nam quis putet agrum excipiendis Templi fictilibus fractis fuisse destinatum? non his potius certe, quam reliquis sordibus; unde nec a fictilibus, potius quam a sordibus nomen habuerit. Itaque vix legitimum inde sensum extundes; cum proprium, & verum reperias in historia Christi Jesu. Valeant igitur morosi illi argutores, & inepti minuta persequentes.

Neque nos movere debet repetita toties nonnullorum Hebræorum jactantia, qua Messiæ regni æternitatem inde petunt, quod eum nunquam moriturum asserunt. Imo iccirco moriturum fuisse fatemur, ut regnum spirituale, æternum atque cœleste consequeretur. Cum enim Messiæ regnum tot vicibus a Sacris Vatibus delineatum, ac prædictum, non terrenum, sed spirituale omnino sit; mori illum necesse fuit, ut obitæ mortis merito, regnum spiritale, æternum atque cœleste adipisceretur, hominumque sanguine suo redemptorum in omne ævum dominaretur: *In hoc enim Christus mortuus est, & resurrexit, ut & vivorum, & mortuorum dominetur*, ita Paulus ad Romanos cap. 14. v. 9. *Nonne hæc oportuit pati Christum, & ita intrare in gloriam suam?* Sic Lucas cap. 24. v. 6. Qua parte Hebræi decipiuntur fœde, seque cæcos sacrarum litterarum Interpretes ostendunt: dum Messiæ regnum, de quo toties divini Vates verba faciunt, aut mundanum, terrenumque; aut aliter quam obitæ mortis merito, ei concessum censent. Horum densam cæcitatem reprehendunt laudata hac in disserta-

ſertatione Prophetarum Vaticinia. Hinc Iſaias cap. 53. v. 12. Meſſiæ dominatum atque triumphum nonniſi in meritum mortis oppetitæ refert: לכן אחלק לו ברבים ואת עצומים יחלק שלל תחת אשר הערה למות נפשו *ideo diſpertiam ei plurimos, & fortium divider ſpolium, pro eo quod effudit in mortem animam ſuam.* Hinc ille idem Evangelicus Vates promiſſum Meſſiam, æternitatis patrem appellat; ejuſque principatum, nonniſi ex Cruce ipſa, quam humeris geſtaturus erat, derivavit: כי ילד ילד לנו בן נתן לנו ותהי המשרה על שכמו ויקרא שמו פלא יועץ אל גבור אבי עד שר שלום *Parvulus enim natus eſt nobis, filius datus eſt nobis, & erit principatus ſuper humerum ejus, & vocabitur nomen ejus Admirabilis, Conſiliarius, Deus, Fortis, Pater æternitatis, Princeps pacis,* cap. 9. v. 6. Hinc & Vates Regius, Meſſiam Gentium caput conſtitutum monet, non ob aliud, quam ob toleratam contentionem, & reprobationem ab impiis: Pſalm. 17. v. 44. תפלטני מריבי עם תשימני לראש גוים *eripies me de contentionibus populi, conſtitues me in caput Gentium*. Pſalm. 117. v. 22. אבן מאסו הבונים היתה לראש פנה *lapidem quem reprobaverunt ædificantes, hic factus eſt in caput anguli.*

Cur autem ſacris in litteris peculiariter vocetur regnum David, hoc regnum ſpirituale Meſſiæ? Reſpondetur, vel quia regnum ejus ſpirituale adumbratum fuit regno mundano & terreno Davidis; vel quia Davidi ſub typo regni ſui promiſſum fuit hoc regnum Meſſiæ, tanquam filii ſui, juxta illud Lucæ cap. 1. v. 32. *dabit illi Dominus Deus ſedem David patris ejus, & regnabit in domo Jacob in æternum, & regni ejus non erit finis.*

Nunc quid adverſus primam partem aſſertionis noſtræ Judæi? Se ſacris litteris edoctos ajunt, Meſſiam in ipſis promiſſum, virum non pauperem, humilem, manſuetum, miſericordem, atque pacificum futurum; ſed bellatorem, copiarumque ductorem. Addunt, ipſum poſt confecta bella, eam orbi pacem temporariam allaturum, quæ nullo in poſterum bello, nullo inter ſe populorum diſſidio turbetur. Nec deſunt, quæ in hujus commenti fidem oſtentent Vatum oracula. Iſaiæ cap. 2. v. 4. וכתתו חרבותם לאתים וחניתותיהם למזמרות לא ישא גוי אל גוי חרב ולא ילמדו עוד מלחמה *& contundent gladios ſuos in ligones, & lanceas ſuas in falces: non levabit Gens contra gentem gladium, & non diſcent ultra bellum.* Micheæ cap. 4. v. 3. ושפט בין עמים רבים והוכיח לגוים עצמים עד רחוק וכתתו חרבתיהם לאתים וחניתתיהם

וחניתותיהם למזמרות לא ישאו גוי אל גוי חרב ולא ילמדון עוד מלחמה & *judicabit inter populos multos*, & *corripiet Gentes fortes usque in longinquum*: & *contundent gladios suos in ligones*, & *lanceas suas in falces; non sumet Gens contra Gentem gladium*, & *non discent ultra bellum*.

Quid plura? Talem orbi pacem a Messia quem frustra expectant, datum iri comminiscuntur, quæ non homines solum, sed animalia quoque inter sese conciliet, societque mutuo. Ita sane colligere sibi videntur liberales næniarum istarum venditores, ex variis Prophetarum vaticiniis. Isaiæ cap. 11. v. 6. & sequent. וגר זאב עם כבש ונמר עם גדי ירבץ ועגל וכפיר ומריא יחדו ונער קטן נהג בם: ופרה ודב תרעינה יחדו ירבצו ילדיהן ואריה כבקר יאכל תבן: ושעשע יונק על חר פתן ועל מאורת צפעוני גמול ידו הדה: לא ירעו ולא ישחיתו בכל הר קדשי & *habitabit lupus cum agno*, & *pardus cum hædo accubabit*: & *vitulus* & *catulus leonis*, & *pecus pingue simul*, & *puer parvulus ducet eos. Et vacca*, & *ursa pascentur simul*, & *accubabunt nati earum*; & *leo sicut bos comedet paleam. Et delectabitur lactens super foramen aspidis*, & *super cavernam reguli ablactatus manum suam extendet. Non nocebunt*, & *non occident in universo monte sanctitatis meæ*, idest, *sancto meo*. Quæ iisdem ferme verbis legere est cap. 65. v. 25. Ezechielis cap. 34. v. 25. וכרתי להם ברית שלום והשבתי חיה רעה מן הארץ וישבו במדבר לבטח וישנו ביערים & *feriam cum eis pactum pacis*, & *cessare faciam bestias pessimas de terra*: & *habitabunt in deserto confidenter*, & *dormient in silvis*. Et v. 28. ולא יהיו עוד בז לגוים וחית הארץ לא תאכלם וישבו לבטח ואין מחריד & *non erunt ultra in prædam Gentibus*, & *bestiæ terræ non comedent eos*: & *habitabunt confidenter*, & *non erit qui exterreat*. Oseæ cap. 2. v. 18. וכרתי להם ברית ביום ההוא עם חית השדה ועם עוף השמים ורמש האדמה וקשת וחרב ומלחמה אשבור מן הארץ והשכבתים לבטח & *percutiam cum eis fœdus in die illa*, & *cum bestia agri*, & *cum volucre cœli*, & *reptili terræ*: & *arcum*, & *gladium*, & *bellum conteram de terra*, & *dormire eos faciam fiducialiter*. Et alia id genus multa, quæ passim in Prophetis occurrunt. Unde validissimum adversus religionem Christianam telum cudere se posse rentur Judæi, cum inquiunt, tempore Jesu Nazareni, quem Messiam esse volumus, neque habitasse lupum cum agno, neque pardum accubuisse cum hædo, neque ulla aureæ hujus ætatis ad hanc diem apparuisse vestigia, proindeque nec Messiam fuisse Jesum.

Gerræ

Gerræ profecto, eæque germanissimæ. Ut igitur promissum Messiam bellatorem, bellaque ab ipso gerenda perspicue agnoscamus; arma ipsa, quibus usurus est, animadvertere satis erit. Ex armorum certe genere, belli quoque gerendi genus proculdubio decernemus. Hæc porro nobis ostendit Isaias cap. 11. v. 4. & 5.
והכה ארץ בשבט פיו וברוח שפתיו ימית רשע : והיה צדק אזור מתניו
והאמונה אזור חלציו *& percutiet terram virga oris sui, & in spiritu labiorum suorum interficiet impium. Et erit justitia cingulum lumborum ejus, & fides cingulum renum ejus.* En arma quibus bellum gerit Messias, verba, spiritus, justitia, & fides. Hinc Paulus Epistola 2. ad Corinthios, cap. 10. v. 3. *in carne ambulantes, non secundum carnem militamus: nam arma militiæ nostræ non carnalia sunt.* Et ad Ephesios cap. 6. v. 11. & 12. *induite vos armaturam Dei, ut possitis stare adversus insidias diaboli: quoniam non est nobis colluctatio adversus carnem, & sanguinem; sed adversus Principes, & Potestates, adversus mundi rectores tenebrarum harum, contra spiritualia nequitiæ, in cœlestibus.* Tum v. 13. & sequent. arma recenset, quibus geri vult hujusmodi bellum; nempe loricam justitiæ, scutum fidei, galeam salutis, & gladium spiritus: *propterea,* inquit, *accipite armaturam Dei, ut possitis resistere in die malo, & in omnibus perfecti stare. State ergo succincti lumbos vestros in veritate, & induti loricam justitiæ, & calceati pedes in præparatione Evangelii pacis: in omnibus sumentes scutum fidei, in quo possitis omnia tela nequissimi ignea extinguere: & galeam salutis assumite, & gladium spiritus, quod est verbum Dei.* Sibi itaque lucem commodant Isaias, & Paulus, sibique consentiunt.

Idem belli genus, spiritale nimirum, nil minus egregie, & splendide indigitat Isaias idem, cap. 8. v. 3. & 4. ubi de Messia bellicoso in ipsa etiam infantili ætate bella gerente, sic loquitur : ויאמר יהוה אלי קרא שמו מהר שלל חש בז : כי בטרם ידע
הנער קרא אבי ואמי ישא את חיל דמשק ואת שלל שמרון לפני מלך
אשור *& dixit Dominus ad me, voca nomen ejus: festinando spolium, acceleravit prædam. Quia antequam sciat puer vocare, pater mi, & mater mea, tollet fortitudinem Damasci, & spolium Samariæ coram Rege Assyriorum.* Vel ut legitur in Vulgata nostra: *& dixit Dominus ad me: voca nomen ejus, accelera, spolia detrahere, festina prædari. Quia antequam sciat puer vocare patrem suum, & matrem suam, auferetur fortitudo Damasci, & spolia Samariæ coram*

ram Rege Assyriorum. Quæ sic pulchre interpretatur Tertullianus lib. contra Judæos cap. 9. *ante est enim inspicias ætatis demonstrationem, an virum jam Christum exhibere ista ætas possit, nedum Imperatorem. Scilicet vagitu ad arma esset convocaturus infans, & signum belli non tuba, sed crepitacillo daturus: nec ex equo, vel de curru, vel de muro, sed de nutricis, & gerulæ suæ dorso, sive collo hostem designaturus; atque ita Damascum, & Samariam pro mammis subacturus. Aliud est, si penes vos infantes in prælium erumpunt, credo ad solem uncti prius, dehinc pannis armati, & butyro stipendiati, qui antea norint lanceare quam lancinare. Demum sententiam his verbis concludit: enim vero si nusquam hoc natura concedit, ante militare, quam virum facere, ante virtutem* Damasci *sumere, quam patrem nosse, sequitur ut figurate pronuntiatum videatur*. Sed hæc est Hebræorum, ut erudite, sapienterque animadvertit insignis quidam Theologus, perfida cæcitas, ut non alios hominis inimicos putent, præter Ægyptios, Assyrios, Babylonios, aliosque id genus antiquos suæ Gentis domitores: nec alia idcirco bella, ab eo, quem frustra expectant, Messia gerenda norint, nisi quæ temporalem illis libertatem, ac pacem attulerint. Vah cæcas mentes! Verus hominis hostis peccatum est, quo uno læditur anima, & servituti addicitur. Legant suæ nationis Annales, nusquam Judæos servituti addictos invenient, nisi ob idololatriam, aut peccatum aliquod ingens. Ita Ægyptiis, Moabitis, Ammonitis, Philistæis, Madianitis, Assyriis, Babyloniis, Persis, Medis, Græcis, Romanis per varia temporum intervalla ob admissa identidem scelera servierunt. Ut hinc noverint, peccata veri nominis hostes esse, unde prima tot servitutum, totque malorum origo nata est: Ægyptios vero, Assyrios, Moabitas, Philistæos, aliosque id genus populos, non tam inimicos, quam Dei vindicis administros. Is ergo verus Messias, verus liberator habendus erit, qui vitiis, non qui Gentibus bellum indixerit; qui spiritualia, non qui temporalia, & carnalia arma tractarit; qui animæ, non qui corporis libertatem attulerit. Hinc frequentes illæ Prophetarum voces: אם בכל לבבכם אתם שבים אל יהוה הסירו את אלהי הנכר מתוככם והעשתרות והכינו לבבכם אל יהוה ועבדהו לבדו ויצל אתכם מיד פלשתים *si in toto corde vestro revertimini ad Dominum, auferte Deos alienos de medio vestri, & Astaroth, & præparate cor vestrum Domino, & servite ei soli, & liberabit vos*

vos de manu Philistiim, libro 1. Regum capite 7. versu 3.

Profecto ergo Hebræi mente, & sensu capti, qui sui populi liberatorem, Pompeji, ac Alexandri, vel alterius præpotentissimi Regis apparatu prodimurum opinantur: externoque mortiferæ litteræ sensui dumtaxat hærentes nil, nisi terrenum intelligunt. Hunc longe alium nobis designat, ut supra observavimus, Isaias toties jam laudatus, cap. 42. v. 1. & sequent. ut mitem potius, humilem, pacificum discernamus: הן עבדי אתמך בו בחירי רצתה נפשי נתתי רוחי עליו משפט לגוים יוציא : לא יצעק ולא ישא ולא ישמיע בחוץ קולו : קנה רצוץ לא ישבור ופשתה כהה לא יכבנה לאמת יוציא משפט : לא יכהה ולא ירוץ עד ישים בארץ משפט ולתורתו איים ייחלו : *ecce servus meus, suscipiam eum: electus meus complacuit animæ meæ: dedi spiritum meum super eum, judicium Gentibus proferet. Non clamabit, & non elevabit, nec audietur vox ejus foris. Calamum quassatum non conteret, & linum fumigans non extinguet: in veritate educet judicium. Non caligabit, nec frangetur, donec ponat in terra judicium: & legem ejus insulæ expectabunt*. Supinam cæcitatem Judæorum castigant etiam laudata hac in dissertatione Vatum Oracula. Hinc Oseas cap. 1. v. 7. ואת בית יהודה ארחם והושעתים ביהוה אלהיהם ולא אושיעם בקשת ובחרב ובמלחמה בסוסים ובפרשים *& domui Juda miserebor, & salvabo eos in Domino Deo suo: & non salvabo eos in arcu, & in gladio, & in bello, in equis, & in equitibus*. Ex omnibus iis manifestum est, Messiam non temporalia, non carnalia bella gesturum fuisse, ut Judæi sibi inaniter blandiuntur; sed spiritualia quibus animæ hostes, & vitia pelleret.

Magna pars veterum, ac recentiorum Theologorum allatum supra Oraculum Isaiæ cap. 2. v. 4. unde Judæi præsidium petunt: *& contundent gladios suos in ligones, & lanceas suas in falces: non levabit Gens contra Gentem gladium, & non discent ultra bellum:* uti & alterum Michææ cap. 4. v. 3. a Judæis proferri solitum, referendum putat ad illam pacem orbis, quæ imperante Augusto sub ortum Adorandi nostri Salvatoris contigisse dicitur, qualis antea non extiterat. Dictio enim *ultra*, inquiunt Theologi isti, sive ut Hebraicæ concepta est, עוד *gnod*, nonnumquam æternitatem, diuturnitatem aliquam nonnumquam, sæpe etiam brevitatem temporis significat. Postremum hoc docet etiam R. David Kimchi in libro *serassim*, ideft radicum, & exemplis probat.

Aliquan-

Aliquando etiam particulæ neganti conjuncta aliquam rei partem detrahit, non totam inficiatur. Sic 35. Geneseos cap. v. 10. Jacobo dixit Deus: לא יקרא שמך עוד יעקב כי אם ישראל יהיה שמך *non vocabitur nomen tuum ultra Jacob, sed Israel erit nomen tuum;* quamvis sæpe deinceps, & hoc ipso capite aliquoties vocatus sit Jacob. Non ergo penitus id negatum est vocibus iis, *non ultra*; sed pars tantum aliqua detracta est: nam cum semper deinceps Israel vocari debuisset, Jacob aliquando vocatus est. Sic etiam lib. 1. Regum cap. 7. v. 13. ita de Philistæis legitur: ולא יספו עוד לבוא בגבול ישראל: *& non addiderunt ultra, ut venirent in terminum Israel*. Quomodo autem dictio *ultra* istic intelligenda sit, ex eo ostenditur, quod eodem lib. cap. 13. dicitur, quod mortuo Samuele, & regnante Saule ascenderunt Philistæi ad terram Israel. Sic enim vers. 5. ejusdem capitis legitur: *& Philistæi congregati sunt ad pugnandum contra Israel, triginta millia curruum, & sex millia equitum, & populus sicut arena quæ est in littore maris in multitudine, & ascenderunt, & castrametati sunt in Michmas ad orientem Bethaven*. Similem iis significationem, concludunt, tribue in allatis Isaiæ, & Michææ testimoniis; non ut in *æternum*, sed ut in multos annos, magnaque ex parte extinctum iri bella intelligas. Egregie, & perbelle.

Sed, etsi hos magnos Theologos ego minime reprehendo, qui pacem orbis externam sic in propheticis verbis intelligunt, ut multo magis veram & internam pacem, quæ cordium est, ibi velint prænuntiatam; libentius tamen in hac secunda, & meliori pace prophetiam impletam esse intellexerim, illa priore, & externa pace omissa, in hujus interpretatione prophetiæ. Nam & Augusto superstite multa, & atrocia bella, & Romani imperii clades acciderunt, maxime Variana; & Tiberio deinde, ac reliquis Imperatoribus nunquam tumultus defuere. Præterea, status ille generis humani, quem Propheta denuntiat in id potissimum congruit tempus, quo, mortuo Jesu nostro, Evangelium longe lateque diffusum est, adeo ut Gentes omnes, veteri derelicta superstitione, Deum, qui in Judæa colebatur, & Jerosolymis, agnoscerent, ejusque legem inde repeterent. Hoc igitur tempus præsertim Claudii, Neronis, ac deinceps aliorum fuerit; quibus regnantibus, tantum abest, ut Gentes gladios suos contunderint, ut nunquam civilia, & cum exteris bella vehementius exarserint. Fuit enim illud tempus, quo Judæa cum maxime bellicis

agitata motibus; & ab Romanis caput Gentis, & religionis eversa Jerosolyma concidit.

Illuc ergo redeo, ut cum aliis non paucis eruditis Viris, totum hoc Prophetæ de pace prædictum ad spiritualem magis animæ concordiam, & tranquillitatem, quam ad temporariam, & externam pacem referendum putem: etsi fateor, ipso eodem oraculo, mundi quoque pacem includi. Sic igitur habendum est, hanc esse vim doctrinæ Christi, & Evangelicæ prædicationis, ut qui illam amplexi fuerint, ad ejusque normam; & præscriptum vitam suam, & mores exegerint: cujusmodi futuros innumerabiles Sacri Vates prævibebant: positis odiis, ac bellis, pacem inter se, amicitiamque foveant. Quare non ad omnes populos, & universum genus hominum ista pertinent: sed ad eos dumtaxat, qui Christianam secuti fidem, eam ipsam vita sua, & factis expresserint.

Siquidem Mosis lex bella præscribebat adversus Gentes aliquas, quæ Dei jussu ex promissæ terræ finibus exterminandæ fuerunt. Hujusmodi habet aliquid ipsa talionis lex, quæ *oculum pro oculo*, *& dentem pro dente poscit*, Matthæi cap. 5. v. 38. At Christiana doctrina odii ac discordiæ fomites restinguit, cum & odisse quenquam prohibet, ne inimicum quidem; nec ulcisci se, vel injuriam referre finit: sed omnia forti, & benigna mente perpeti suadet: imo beneficiis malefacta pensare: & alia ejusdemmodi, quæ ad perennem stabiliendam pacem efficacissima sunt.

Ad hunc igitur sensum accomodari debere prophetica illa prædicta de pace per Christum toto orbe diffundenda, nemo non videt. Ut enim belli fructus pax est, spiritualem ab eo pacem donari necessum est, qui nonnisi spiritualia bella gesserit, & spiritualia arma tractarit. Messiæ certe spirituale regnum est, ut alibi observavimus, & quæcunque eo pertinent, spiritualia fere sunt; & pax illa per Christum promissa, & parta, animorum, & conscientiæ pax est; pax etiam Deum inter & homines per Christum conciliata. Quocirca res ad Messiam spectantes, futuras esse spirituales, ac cœlestes, merito asseverat R. Juda in libro, quem æternitatem Israelis inscripsit.

Se vero longe magis deridendos exhibent alii Judæi, qui pacis temporariæ, aureæque, quam comminiscuntur, ætatis sub Messiæ dominio rediturae vestigia in brutis etiam animalibus quærunt, Isaiæ, Ezechielis, & Oseæ Vaticiniis abusi fœde. Quasi vero tempore Messiæ, ferocia animan-

animantia mansuetis sociari, conciliarique debuerint. Ecquis enim non videat, hæc & similia non sic ad litteram & in sensu proprio esse intelligenda, sed in sensu allegorico, de hominibus, quorum mores similes sunt bestiis ibi enumeratis? Per leonem enim, lupum, & aspidem, accipi possunt homines fortes, potentes, rapaces, & noxii; uti per pardum, irretiti variis erroribus, & vitiis; hæ quippe sunt maculæ pardi: per agnum vero, hædum, vitulum, & bovem, infirmi, pauperes, mansueti, & laboriosi. Quasi diceretur: in Ecclesia Christi simul quiete versabuntur, justi & peccatores, mites & feroces, patientes & cholerici, pauperes & divites, infirmi & potentes. Per has ergo allegorias significare voluerunt laudati Vates per Christi gratiam fore Gentium omnium unionem, & concordiam; quodque Gentes feræ & barbaræ deposita feritate mansuescere, & cum hædis & agnis, idest, cum humilibus & simplicibus Christianis, sanctissime conspirare debebant in unitatem fidei, charitatis, atque Ecclesiæ. Et sane in Ecclesia Christiana viget perfecta concordia inter capita & membra, inter pastores, & oves. Alienigenæ populi nulla affinitate, nulla necessitudine conjuncti, vel qui se nunquam mutuo noverant, fidei, atque charitatis vinculis conjuncti sunt, iisdem aquis regenerati, eidem mensæ accumbentes, participes Carnis, Sanguinisque Christi, omnes eosdem sensus habent, omnes ad eadem bona summo pectore inhiant. Populi barbari, feroces, indomiti, qui terror erant humani generis, naturam quodammodo immutant, Jesu Christi domum ingressi; & qui lupi erant, novo quodam veluti præstigio, lenes fiunt, pacatique ovium instar. S. Paulus Damascum pergit, furens velut leo; Jesus noster eum vocat, ac ille statim parvulo agno mitior evadit. Hæc sunt Evangelii Jesu Christi miracula.

Nec dicant Judæi mortiferæ litteræ tenacius hærentes, Christianorum effugium istud esse, ac pro arbitrio confictum, ut objectam illorum difficultatem declinarent potius, quam diluerent; hujusce quippe dati responsi rationem prorsus invictam subjicimus. Perspectum sane est divinis in Scripturis homines brutorum animantium nominibus sæpe appellari. Sic Geneseos cap. 49. Jacob ille Patriarcha, vocatis ad se filiis, paternam benedictionem largiturus, Judam גור אריה *catulum leonis* vocavit: Isachar חמר גרם *asinum osseum*, vel *fortem*: Dan נחש עלי דרך שפיפן עלי ארח

 serpen-

ſerpentem ſuper viam, ceraſtem ſuper ſemitam : Nephtali אילה שלחה *cervam dimiſſam;* Beniamin זאב יטרף *lupum rapacem*. Plura ejuſmodi exempla ſunt in promptu, quæ commemorare longum eſſet. Non ergo Chriſtianorum effugium eſt, ut objectam difficultatem declinent potius, quam ſolvant.

Has Gregalium ſuorum ineptias, alias rerum vices nato Meſſia expectantium derident etiam, qui aliquanto plus ſapiunt, Synagogæ Magiſtri. R. Samuel, R. David Kimchi; præcipue vero R. Moſes ben Maimon in *Jad chazacah*, parte quarta, libro quarto, & docet lupum, pardum, leonem, feraque hæc animalia, impiarum Gentium eſſe ſimulacra; agnum vero, hædum, vitulum, & manſuetas pecudes, Iſraelitas ſignificare, quorum ſumma erit inter Gentes pax, & tranquillitas animi. Atque hoc inſuper ille Judæorum celeberrimus Doctor adnotat; ſtultum eſſe, putare Meſſiæ temporibus, mundi ordinem, & uſitatum rerum curſum eſſe mutandum; quippe omnia naturali lege, & eadem, qua nunc aguntur, ratione, modoque eſſe gubernanda. Quæ res adverſus ineptos aliquos, & imperitos iſtius Gentis obſervari debet, qui prodigia neſcio quæ, & extraordinaria portenta a nobis exigunt; quæ certis e Scripturæ locis figurate, & allegorice conceptis, tanquam ſimpliciter prænuntiata colligunt. Demum, ſic rationem concludit doctus ille Magiſter: *hæc, & reliqua ejuſmodi, quæ de Meſſiæ temporibus ſcripta extant, ſunt allegoricæ ſententiæ;* inter quas illa numeranda eſt, quæ Iſaiæ cap. 2. v. 2. & Michææ cap. 4. v. 1. legitur, de monte Dei ſupra reliquos montes, colleſque ſublevando, & hujus generis alia. Frequens itaque eſt in ore Judæorum R. Samuelis dictum, nullum diſcrimen futurum inter tempora noſtra, & tempora Meſſiæ, *præter regnorum ſervitutem*.


Profecto ſi nihil in divinis oraculis explicandis allegoriæ damus, ſed ad litteram omnia intelligenda eſſe putemus, ut auream Meſſiæ ætatem effingamus; non ſolum deponendam eſſe brutorum animalium feritatem ludificabimur; ſed etiam plaudentia manibus flumina, montes, ſilvaſque feſto ſaltatu choreas agentes fabulabimur; Regio ſcilicet Vate inclamante, Pſalm. 97. v. 8. נהרות ימחאו כף יחד הרים ירננו : *flumina plaudent manu, ſimul montes acclamabunt*. Et Pſalm. 95. verſ. 12. אז ירננו כל עצי יער *tunc exultabunt omnia ligna ſilvæ*. Quin etiam novo abſurditatis, ac repugnantiæ genere, complanatum iri terræ ſola, adveniente

niente Meſſia, fabulabimur; ut nulli tunc montes, nullæ valles exiſtant: dicente ſcilicet Iſaia cap. 40. v. 4. כל גיא ינשא וכל הר וגבעה ישפלו : *omnis vallis exaltabitur*, *& omnis mons*, *& collis humiliabitur*. Quæ ſane, præterquam ſunt abſurdiſſima, repugnant etiam inter ſeſe: cum & montes exultare, quod ait Regius Vates, impoſſibile ſit; ſi nulli tunc, ut loquitur Iſaias, futuri ſunt montes, ſed ſolo æquandi. Hinc optime Tertullianus lib. 3. contra Marcionem cap. 5. *alia ſpecies erit*, inquit, *qua pleraque figurate portenduntur per ænigmata*, *& parabolas*, *& allegorias*, *aliter intelligenda quam ſcripta ſunt*. *Nam & montes legimus diſtillaturos dulcorem*, *non tamen ut ſapam de petris*, *aut defrutum de rupibus ſperes*: *& terram audimus lacte*, *& melle manantem*, *non tamen ut de glebis credas te unquam placentas*, *& ſamias coacturum*; *quia non ſtatim aquilicem*, *& agricolam ſe Deus repromiſit dicens*, *ponam flumina in regione ſitienti*, *& in ſolitudine cedrum*, *& buxum*. *Sicut & prædicans de nationum converſione*, *benedicent me beſtiæ agri*, *ſirenes*, *& filiæ paſſerum*, *non utique ab hirundinum pullis*, *& vulpeculis*, *& illis monſtruoſis*, *fabuloſiſque cantricibus fauſta omina relaturus eſt*.

Claudere hoc caput, & illam de Chriſtiana pace diſputationem libet inſigni teſtimonio Magni Athanaſij: qui in libro de Incarnatione Verbi Dei divinitatem Chriſti hoc argumento comprobat, quod pacis amorem & ſtudium cultoribus ſuis ingeneraverit. *Siquidem olim*, inquit, *idololatriæ dediti Græci pariter*, *& Barbari contra ſe invicem bella gerebant*, *& in cognatos crudeles erant*. *Non enim quiſpiam poterat omnino terra marive iter facere*, *niſi gladium manu præferens*, *propter implacabilia bella*, *quibus in ſe mutuo graſſabantur*. *Quippe vita omnis ipſorum per arma tranſigebatur*; *& pro baculo enſis illis erat*: *in eoque fiduciam ſuam omnem*, *ac præſidium collocabant*; *atqui*, *ut jam dixi*, *ſimulacra venerabantur*, *& dæmonibus ſacra faciebant*: *nec tamen ille omnis dæmonum cultus facere potuit*, *ut ii*, *qui talibus erant dediti*, *meliora docerentur*. *Poſtquam autem ad Chriſti diſciplinam tranſierunt*, *tunc præter opinionem revera compunctis eorum animis*, *immanitatem illam cædium exuerunt*, *ut non amplius bellicum*, *& hoſtile neſcio quid ſpirent*: *ſed omnia ſint eis pacifica*, *& quæ ad pacem*, *& concordiam pertinent mirifice illos afficiant*.

Tum

Tum paucis interjectis, & commemorata Isaiæ prophetia, quæ Gentes prædicit enses suos, & lanceas suas in agricolationis instrumenta conversuras, nec belli vestigium usquam reliquum fore, ista pertexit. *Neque vero id incredibile videri debet; cum hodieque Barbari, quibus a natura morum insita est immanitas, quandiu idolis suis sacrificant, contra se invicem furore perciti ferantur: neque absque gladiis vel una hora possint vivere: iidem vero, postquam Christianæ doctrinæ auscultare cœperint, statim bellis relictis, ad agriculturam sese conferant: ac pro tractandis gladiis, manus ad preces extendant; & ut antea bellis inter se mutuis certabant: ita deinceps diabolum, ejusque dæmones pudicitiæ armis, & animi virtutibus oppugnent. Hoc autem divinitatis Christi est Salvatoris indicium*, &c. Hæc Athanasius; quæ hac etiam ætate licet in efferis, & ab omni derelictis humanitatis cultu nationibus cernere, velut Indis, Brasiliensibus, Canadensibus, & Americanis cæteris; qui quandiu patriis irretiti superstitionibus dæmones adorant, assidua inter se bella gerunt: ac leonum, & luporum more, ex hostium carnibus dapes, & viscerationes instruunt. At ubi Christiani facti sunt, repente posita feritate sic mansuescunt; ut pati, quam inferre malint hostibus malum: eosque benefactis & omnibus charitatis officiis demulceant.



DIS-



DISSERTATIO NONA.



MEssias divinis promissus Oraculis, non purus, ac merus homo futurus erat; sed homo Deus.

Quod Messiam divinitus promissum, virum bellatorem, copiarum ductorem, Gentium domitorem, ac prorsus immortalem Judæi commenti sint, parum illis visum erat, nisi eumdem etiam purum, ac merum hominem effutirent. Nihil tamen est quod miremur, si alteram, qua tenentur hallucinationem consideramus. Effecit istud enim fatalis illa, qua jamdiu laborant, Mysterii SS. Trinitatis inscitia. Cum enim promissum sibi Messiam, a Deo mittendum divinis in Scripturis legerint; Deum autem uti natura, ita & persona unum, non Trinum noscant: necessaria consecutione subinde colligunt, Messiam illum suum, non Deum, a quo mitti debuit, sed alterum a Deo, hominem nimirum, debere esse. Verum, si Deum de Deo, lumen de lumine, Deum verum de Deo vero, sicut fides Catholica docet, genitum noscerent; Deum a Deo in suscepta humana natura, mitti posse, nullo negotio deprehenderent. Ut ergo hanc illis dubitationem eximamus, illud in præsentia, quod rei caput est, ex Vatum oraculis, demonstrare aggredimur: Messiam, quamvis mittendum a Deo, Deum tamen, & ipsum esse debuisse, in suscepta humana natura cum hominibus versantem. Unde & hoc alterum Hebræi simul intelligent: Deum tametsi individua natura, non ideo tamen persona unum esse; sed Deum de Deo, ex ipsa æternitate, mente genitum: ut & hoc modo a genitore genitum mitti in assumpta hominis natura, nihil repugnet.

In

In eo Sacrorum Oraculorum genere clarissimum, dissertissimumque illud mihi semper visum est, quod legitur Jeremiæ cap. 23. v. 5. & 6. הנה ימים באים נאם יהוה והקימתי לדוד צמח צדיק ומלך מלך והשכיל ועשה משפט וצדקה בארץ : בימיו תושע יהודה וישראל ישכן לבטח וזה שמו אשר יקראו יהוה צדקנו *ecce dies venient dicit Dominus, & suscitabo David germen justum, & regnabit Rex, & intelliget, & facies judicium, & justitiam in terra. In diebus ejus salvabitur Juda, & Israel habitabit confidenter, & hoc est nomen ejus, quod vocabunt eum, Dominus justitia nostra*, sive *justus noster*. De Messia etenim istic sermonem fieri, ne Judæos quidem arbitror negaturos: tum quia Talmudistæ oraculum illud de Messia exponunt: tum etiam propter Chaldaicam translationem, quæ aperte de Messia loquitur. In quo quidem Vaticinio exprimitur humanitas Messiæ, ejusque vera divinitas: nam dum ait: *suscitabo David germen justum*, declaratur humanitas Messiæ; per illud autem quod subjungit Sacer Vates, dicens, *& hoc est nomen ejus, quod vocabunt eum, Dominus justus noster*, exprimitur divinitas ipsius; & quidem satis perspicue, & evidenter; nam ubi nos in Vulgata nostra legimus *Dominus*: Judæi, ut vidimus, legunt nomen sacrum & ineffabile tetragrammaton יהוה *Jehovah*, quod nulli plane creaturæ quantumlibet præcellenti accomodari potest.

Verum tanta est Judæorum pervicacia, & obstinatio, ut quo nitidius, quo splendidius oraculum est, eo petulantius, audaciusque cavillis, ac tricis nebulas illi offundant, ne ullum inde Catholicæ fidei præsidium repetamus. Quapropter illorum aliqui contendunt, legendum non esse, *& hoc est nomen ejus, quod vocabunt eum, Dominus justitia nostra*, sive *justus noster*: quo innuitur, Messiam venturum a suis populis vocatum iri, *Dominum justum nostrum*, seu, *Dominum justificantem nos*: sed legendum malunt, *& hoc est nomen ejus, quo vocabit eum Dominus, justitia nostra*, sive *justus noster*; quasi Messias vocandus sit a Domino *justitia nostra*, vel *justus noster*: non ipse tamen Dominus Deus sit.

At audaces Interpretes falsi convincunt, textus Hebraicus, Paraphrastæ Chaldæi, Versiones Syriaca, & Arabica, verbum plurali numero יקראו *vocabunt eum*, non singulari יקרא *vocabit*, referentes, ut plane populos vocaturos, non vocaturum Dominum notent. Ut prætercam, Deum, si *justi* nomine Messiam vocaturus erat, non utique dicturum, *justus noster*, seu *justificans nos*; sed

ſed potius *juſtus veſter*, vel *juſtitia veſtra*: cum is non Deum, ſed populum juſtificaturus eſſet. Id ergo velint, nolint Judæi iſti fateantur neceſſe eſt, Meſſiam Deum eſſe: alioqui falſo eum hoc nomine Deus vocari mandaſſet, quod nefas eſt vel cogitare.

Alii vero, eo demiſſo ſuffugio, cum Meſſiam Dominum juſtum noſtrum ipſo nomine *Jehovah* appellatum iſtic perſpiciant, quodque nulli plane creaturæ quantumlibet præcellenti accomodari poteſt, ſed huic uni deſignando conſecratur, qui ſolus natura ſua verus eſt Deus; eo nihilominus ſe recipiunt, ut dicant, ipſum quoque tetragrammaton nomen *Jehovah*, creaturis quandoque tribui divinis in Scripturis. Ut Geneſeos cap. 22. v. 14. mons ſuper quem Abraham ſacrificium obtulit dictus eſt יהוה יראה *Dominus videbit*, uſurpato perinde nomine *Jehovah*. Exodi cap. 17. v. 15. Ara erecta a Moſe ab eodem appellata eſt יהוה נסי *Dominus vexillum meum*, uſurpato nomine *Jehovah*. Libro Judicum cap. 6. v. 24. Ara conſtructa a Jedeone ab eodem dicta eſt יהוה שלום *Dominus pacis*, uſurpato nomine *Jehovah*. Ezechiel denique cap. 48. v. 35. civitati, ideſt, Jeroſolymæ prædicit futurum nomen יהוה שמה *Dominus ibidem*, per dictionem *Jehovah*.

Verum nec ii ſuis illis exemplis quidquam evincunt. Aliter quippe monti, aris, & civitati, aliter Meſſiæ Dei nomen tribuitur; illis non abſolute, & ſimpliciter, ſed addita ubique dictione aliqua, exercitam illic operationem, atque virtutem ſignificante; nempe *Dominus videbit*, *Dominus vexillum meum*, *Dominus pacis*, *Dominus ibidem*: huic ſimpliciter, & abſolute, ut Meſſiæ ſignificetur divinitas, & juſtitiæ noſtræ beneficium, quod benignitati ipſius, & gratiæ acceptum referimus. Quare non ipſam Dei eſſentiam, atque naturam illis rebus convenientem ſonat nomen *Jehovah*, ſed divinam tantum operationem atque virtutem iis in rebus elucentem. At in laudato Jeremiæ Oraculo, Meſſias *Dominus juſtus noſter* abſolute, & ſimpliciter appellatur: quo quidem Dei natura atque eſſentia, uti Meſſiæ propria deſignatur. Maxime cum Meſſias perſona quædam ſit, quæ hujus appellationis capax eſſe poteſt, cætera laudatis exemplis allata, inanimata prorſus, in quæ Dei nomen ſimpliciter, & abſolute ſumptum, cadere non poſſe, nemo non videt. Quare non modo Deus in Chriſto, ac per Chriſtum juſtificat nos; ſed ipſemet Deus eſt, *juſtitia noſtra*, ut habet textus Hebraicus, hoc eſt, auctor juſtitiæ noſtræ.

Pari, ad præsens institutum nostrum, vi ac potestate est Isaiæ Oraculum cap. 9. vers. 6. ילד ילד לנו בן נתן לנו ותהי המשרה על שכמו ויקרא שמו פלא יועץ אל גבור אבי עד שר שלום *Parvulus natus est nobis, filius datus est nobis, & erit principatus super humerum ejus, & vocabitur nomen ejus, Admirabilis, Consiliarius, Deus, Fortis, Pater æternitatis, Princeps pacis.* In hoc porro Isaiæ Oraculo, quemadmodum, & in jam laudato Jeremiæ, demonstratur divinitas, & humanitas Messiæ: humanitas quidem per illa verba: *Parvulus natus est nobis*; divinitas vero per hæc: *& vocabitur nomen ejus, Admirabilis, Consiliarius, Deus, Fortis, Pater æternitatis, Princeps pacis.* Cum enim nomina ista nulli alteri nisi Deo competere possint, ex ipsis, Messiam Deum esse, necessario consectarium est.

Quanto efficacius hoc Oraculum adversus Judæos probat, Messiam non purum, ac merum hominem fore; sed hominem Deum: tanto pertinacius Judæi, qui fuerunt post adventum Jesu Nazareni multiplici tergiversatione vim illius eludere conati sunt, varias hujus Vaticinii interpretationes confingendo, quibus apertam rectamque ejus sententiam quoquomodo infuscarent, atque perverterent. Idcirco illorum aliqui ajunt, verbum istud ויקרא *vaikra*, *vocabitur*, ad eum qui vocat referri, non ad eum qui vocatur: ut sensus sit: *& Admirabilis, Consiliarius, Deus, Fortis, Pater æternitatis, vocabit eum Principem pacis.* Alii inquiunt, Messiam laudato in loco non appellari simpliciter & absolute Deum, sed cum addito *Deum fortem*, quo constat illum Deum appellari duntaxat propter fortitudinem, seu virtutem & potentiam. Alii denique, Messiam eo Vaticinio promitti diffitentur; sed virum quempiam alterum, puta Ezechiam Regem, aut Isaiæ filium: sic enim quique hariolantur, & fingunt.

Quam porro hæc levia sint & infirma nemo non videt. Ea quippe posita explicatione diversos casus nominibus affingunt ad libitum, alios nominandi, alios accusandi, quorum tamen in Hebraico exemplari nulla apparet distinctio. Dictio autem Hebraica יקרא ad quam confugiunt, nihil eos juvat; æque enim reddi potest, & per *vocabit*, & per *vocabitur*: perinde autem est ad rem nostram. Si redditur per vocabitur, evanescit difficultas; si redditur per *vocabit*, supplendus est nominativus, aliquis, aut quilibet vocabit eum *Admirabilem, Consiliarium, Deum, Fortem,*

Pa-

Patrem æternitatis, *Principem pacis*. Non diffiteor tamen, ut dixi, vocem יקרא pro diverſitate punctorum, vel activam, vel paſſivam eſſe: cur autem iſtic activam eſſe velint, nullam probabilem cauſam afferre poſſunt. Nam quo nobis comprobabunt argumento, hoc potius modo intelligendum eſſe locum hunc: *& Admirabilis Conſiliarius*, *Deus fortis*, *Pater æternitatis vocabit eum Principem pacis*, quam iſto: *& Admirabilis*, *Conſiliarius*, *Deus fortis*, *vocabit eum Patrem æternitatis*, *Principem pacis*; vel illo: *& Admirabilis*, *Conſiliarius*, *vocabit eum Deum fortem*, *Patrem æternitatis*, *Principem pacis*; aut hoc denique: *& Admirabilis vocabit eum Conſiliarium*, *Deum*, *Fortem*, *Patrem æternitatis*, *Principem pacis*. Quam igitur gratis nobis dant expoſitionem, gratis poſſumus reſpuere. Verumtamen ſine fidejuſſoribus tantum nobis non arrogamus. Ergo ſeptuaginta Interpretes tranſtulerunt, *vocatur*; Translatio Chaldaica, *vocabitur*; Symmachus, *vocabitur*.

Additio quoque attributi, *fortis*, haud parum Judæis adverſatur; ſiquidem etiam cum emphaſi ſignificat ſummum & fortiſſimum Deum cui omnia ſerviunt. Et vero ita Sacris in litteris Deus ſummus depingi ſolet. Deuteronomii cap. 10. v. 17. יהוה אלהיכם הוא אלהי האלהים ואדני האדנים האל הגדל הגבר והנורא *Dominus Deus veſter ipſe eſt Deus Deorum*, *& Dominus Dominorum*, *Deus magnus*, *fortis*, *& terribilis*. Nehemiæ cap. 9. v. 32. ועתה אלהינו האל הגדול הגבור והנורא *& nunc Deus noſter magne*, *fortis*, *& terribilis*. Pſalm. 23. v. 8. יהוה עזוז וגבור יהוה גבור מלחמה *Dominus robuſtus*, *& fortis*, *Dominus fortis in prælio*. Quibus in locis prædicatum, *fortis*, cum nomine Dei jungitur, quo nedum imminuitur, ſed augetur magis nominis Dei ſignificatio.

Felicioribus ad divinandum ventis non ducuntur, qui Ezechiam Regem indigitatum exiſtimant eo Iſaiæ Oraculo, aut certe filium ipſiuſmet Iſaiæ Prophetæ. Neuter quippe admirabilis fuit, neuter Deus, neuter proprie fortis, quod de ſe Deus ſæpe prædicat, ut modo vidimus; neuter pater æternitatis: neutrius æterna pax, neutrius regnum ſempiternum. Fateantur itaque velint, nolint miſeri viri neceſſe eſt, laudatum Iſaiæ Oraculum de Rege Ezechia, aut Iſaiæ filio non eſſe intelligendum, ſed de Jeſu noſtro vero Meſſia, qui vere Deus & homo eſt; cui data eſt a Patre omnis poteſtas in cœlo, & in terra: qui Crucem regni ſui inſi-

gne humeris gestavit: qui æternam pacem hominum generi peperit; cujus imperium sempiternum est.

Clarissima quoque de Messiæ divinitate, & humanitate prædictio extat Michææ cap. 5. v. 2. ואתה ביתלחם אפרתה צעיר להיות באלפי יהודה ממך לי יצא להיות מושל בישראל ומוצאתיו מקדם מימי עולם *& tu Betbleem Ephrata*, inquit, *parvulus es, ut sis in millibus Juda: ex te mihi egredietur, qui sit Dominator in Israel; & egressiones ejus ab æterno, a diebus sæculi*. Messiæ itaque humanitatem ista exprimunt: *ex te mihi egredietur, qui sit Dominator in Israel; ejus vero divinitatem hæc: & egressiones ejus ab æterno, a diebus sæculi*. Solet enim Scriptura Sacra in rebus maximis nominandis uti plurali numero pro singulari, sive quantitate sint magnæ, sive qualitate. Habent enim Hebræi propter energiam linguæ suæ varia genera locutionum ad amplificandum, ut Jobi cap. 40. v. 10. *ecce nunc Behemoth quem feci tecum, herbam veluti bos comedet*. *Behemoth* pluralis est, & ponitur pro magna bestia, quæ videlicet tantæ molis est, ut multas in se continere videatur. Proverbiorum cap. 1. v. 20. *Sapientia in platea prædicabit: in plateis dabit vocem suam*. In exemplari Hebraico legitur חכמות *Kochmoth*, idest, *Sapientiæ*. Loquitur enim de Sapientia divina seu æterna, quæ omnem continet Sapientiam; quæ Sapientia Christus est. Ita Deum vocat Scriptura Sacra plurali numero אלהים *Helohim Deos*, seu *Judices*, quod in se contineat omnes Judices, idest, omnem ad judicandum potestatem, & sapientiam. Eadem ratione Dominus dicitur pluraliter אדונים *hadonim*, quod omnem contineat dominatum. Ita ergo nativitatem æternam Christi omnium nobilissimam, quæ perfectionem omnium nativitatum continet; quæque omnes quascumque mens humana cogitare potest nativitates longissimo intervallo superat, *egressiones*, hoc est, nativitates vocavit. Hoc Michææ Oraculum de Messia intellexerunt Paraphrastes Chaldæus Jonathan, auctores Thalmudici in libro Sanhedrin, ultimo capite, & in libro de Paschate, cap. 10. Midrasch Theillim, & RR. Selomoh, & David Kimchi.

Futile sane est quod nonnulli Judæi reponunt, Messiam *ab æterno* esse oportere, in mente divina tantummodo, non in seipso.

Nihil enim peculiare, ac singulare haberet ex eo capite; cum *ab æterno* in mente divina sint quæcumque creaturæ, etiam e suamet conditione vilissimæ: Propheta autem exprimit præeminentiam

tiam, & excellentiam Messiæ, ut ex ipsius verbis, perspicuum est.

Futile quoque est quod Judæi aliqui recentiores reponunt, non Messiæ, sed alterius cujuspiam Dominatoris natale solum a Michæa designari.

Sed & ii a professione majorum suorum, qui Vaticinium illud ad Messiam promissum retulere, procul recedunt; novisque se laqueis implicant. Quem etenim alium ex Dominatoribus Israelis dare poterunt, cujus *egressus ab æterno*, *a diebus sæculi* fuerit, de quo tamen istic Michæas verba facit? Sed inter Dominatores Israelis tres tantum Bethleemi natos observat eruditus quidam Sacrarum litterarum Interpres; Abesanum Judicem Israelis, Judicum cap.12.v.8. Elimelechum maritum Noemi, Ruth cap.1.v.2. ac demum Davidem I. Regum cap.17.v.12. at sunt illi omnes Michææ ætate longe superiores, ad quos idcirco oraculum illud referri non potest.

Æque absurda eorum interpretatio est, qui Michææ Vaticinium ad Ezechiam Regem referunt: quippe qui Jerosolymis, non Bethleemi ortum habuit; jamque rerum potiebatur, quo tempore Vaticinium istud divinus Vates effudit, ut ex primo prophetiæ versiculo manifestum est.

Longe etiam a veritate aberrant, qui Zorobabelem hoc Michææ Oraculo prænuntiatum opinantur: cum contra, certo certius sit, eum non Bethleemi, sed in Babylone natum esse, ex quo deinde populum reduxit. Cæterum, quomodo probare poterunt nativitatem illius esse æternam? *Et egressus ejus ab æterno*, *a diebus sæculi*.

Scio quid ad hæc respondeant nonnulli; Zorobabelem Bethleemo ortum censeri, quod ex Davidis, qui Bethleemi natus est, familia esset oriundus; *egressum vero ejus ab æterno*, *a diebus sæculi* dici, quod longum stemma a Davide duceret, multæque inter ipsum, & Davidem intercessissent generationes, longaque diuturnitas temporis, postquam Bethleemo stirps illa prodierat.

Verum hanc interpretationem contortam esse & coactam quis non videat? Non magis enim ex Bethleemo ortus dici potuit Zorobabel, quod ibi David natus sit, quam Jerosolymis, ubi tot Reges ipsius Zorobabelis decessores procreati sunt, aut ex Babylone, ubi ipse natus est: quod neque dici, neque ferri potest. Neque verisimile videtur, Prophetam eo Vaticinio quo Zorobabelis imperium, & res gerendas prædixisset, Davidis patriam, non ipsius

Zoro-

Zorobabelis notare voluisse. Præterea, quamvis, hæc verba מקדם *mikedem*, *ab æterno*, *ab olim*, *ab antiquo*, *a principio;* מימי עולם *mime golam*, *a diebus sæculi*, *a diebus æternitatis*, separatim sumpta non æternitatem, sed longissimum tempus significarent; juncta quippe, omnino illam designant: nam voces repetitæ augent significationem, ut *in sæculum* & *sæculum*, aut *in sæculum sæculi*, aut *in sæcula sæculorum*. Uno verbo, nusquam in Scriptura Sacra invenietur, hanc locutionem, aut similem, *ab æterno*, *a diebus sæculi*, longitudinem temporum significare, non vero infinitam ipsius æternitatis durationem. Conferatur hic locus cum Proverbiorum cap. 8. v. 23. ubi æterna Sapientia, quæ Christus est, de seipsa ait: מעולם נסכתי מראש מקדמי ארץ *a sæculo*, seu *ab æterno inuncta sum*, *a principio*, *ante primordia terræ*. Et cum Psalm. 89. v. 2. בטרם הרים ילדו ותחולל ארץ ותבל ומעולם עד עולם אתה אל *priusquam montes nascerentur*, *seu fierent*, *& formasses terram*, *& orbem: & a sæculo usque ad sæculum tu es Deus*. Si ergo verba hujusce Psalmi, *a sæculo usque ad sæculum*, significant ante sæculum, infinitamque ipsius æternitatis durationem, ut ultro fatentur Judæi: quidni etiam hæc, *& egressiones ejus ab æterno*, *a diebus sæculi?* Rursus, quis nominis sui fama orbem credat Zorobabelem replevisse, exulum aliquot ducem, & nationis exiguæ, obscuræ, ac jam pene funditus excisæ principem, propter reparatum Templum, splendidum quidem olim, dum manebant regna, tunc autem rudiori opera refectum, ad cujus conspectum prioris Templi memoria senibus lacrymas excutiebat? Quomodo pax denique dicetur Zorobabel, quem gravissimis Chuthæorum, Samariensium calumniis, & accusationibus appetitum, vix inchoatum instaurationis Jerosolymitani Templi opus absolvere potuisse scimus? Zorobabeli igitur non convenit pars illa Oraculi, quod fama ejus per orbem universum propagata sit, & quod fuerit ipse pax: *magnificabitur usque ad terminos terræ: & erit iste pax*. Quæ omnia Christi Domini veri Messiæ propria, & singularia sunt. Quocumque ergo se vertant nostrorum temporum Judæi, laqueum non effugiunt.

Reponunt alii Hebraicæ legis Doctores, quos de more Rabbinos dicunt, Michæam istic de eo agere, qui pascere debebat Israelem *in fortitudine Domini*, *in sublimitate nominis Domini Dei sui:* adeoque vel ad Jesum Nazarenum id non pertinere, vel illum

lum non esse Deum, sed Deo subditum. Addunt, Sacrum Vatem loqui de eo, qui futurus esset *dominator in Israel:* Jesum vero nostrum Judæis dominatum non fuisse, sed Judæos potius, aut Judæorum Principes illi imperasse.

Non est tamen difficile utrumque refellere. Ad id ergo, quod primo loco positum est respondeo, Jesum nostrum, bonum pastorem, qui dedit animam suam pro ovibus suis, Israelem pavisse *in fortitudine Domini*, *in sublimitate nominis Domini Dei sui*, in cujus Doctrina, virtute, miraculis, actionibus, passionibus, & gloria Passionem consecuta, fortitudo Dei, & majestas nominis ejus tanto splendore emicuit, ut stuporem etiam acerrimis illius hostibus incusserit. Deum autem esse, ut Sacer Vates docet, æternam ejus generationem his verbis exprimens: *egressiones ejus ab æterno, a diebus sæculi:* & nihilominus Deo subditum esse secundum statum exinanitionis, & formam servi, quam assumpsit, sive secundum officium mediatoris, quod suscepit. Unde ait Joannis cap. 20. v. 17. *ascendo ad Patrem meum, & Patrem vestrum; Deum meum, & Deum vestrum*. Nec minus vere de illo dixit Petrus: *tu es Christus filius Dei vivi*. Et Thomas: *Dominus meus, & Deus meus*.

Ad secundum respondeo, regnum Adorandi nostri Salvatoris spirituale fuisse & internum, quale illud Messiæ a Sacris Vatibus describitur, non terrenum, & externum, ut alibi observavimus. Esto igitur dominio externo Judæi Jesu nostro dominati sint; ipse vero dominio maxime vero, idest, spirituali Israeli dominatus est; Israeli, inquam, secundum carnem, dominio potentiæ, illum virga ferrea coercendo; Israeli vero secundum promissionem, dominio gratiæ, illum pastoris instar suavissime regendo.

Respondeo secundo, Judæos Jesu Nazareno dominatos ut homini, ut servili forma induto, secundum quam subditus esse dignatus est: quibus tamen ut Deus, dominabatur. Neque vero ullam in Jesum nostrum etiam ut hominem potestatem habuere, nisi desuper traditam: nec Herodes, vel Pilatus quicquam in ipsum statuere, nisi quæ Deus decreverat. Atque in ipso etiam exinanitionis statu summæ suæ potestatis ac imperii præclara dat documenta, dum ejus nativitas ab Angelo annuntiatur; a multitudine militiæ cœlestis prædicatur: dum Magos ab oriente vocat,

&

& stella duce ad cunas suas venerabundos adducit: dum pannis involutus conturbat Herodem, & omnem Jerosolymam cum illo: dum ventis, & mari, morbis, morti imperat, naturæque Dominum illustribus miraculis se probat: dum vendentes & ementes ejicit e Templo, mensas nummulariorum, & cathedras vendentium columbas evertit: dum asinam & pullum ejus solvi, & ad se adduci jubet, ac Jerosolymam Regis instar triumphali apparatu ingreditur: dum turbam ad ipsum capiendum emissam uno verbo prosternit: dum eo patiente sol deficit, terra concutitur, velum Templi scinditur, petræ finduntur, monumenta aperiuntur, & Sancti plerique surgunt ex illis redivivi. Denique, tunc dominabitur Israeli, *cum plenitudo Gentium introjerit, & sic omnis Israel salvus fiet, sicut scriptum est: veniet ex Sion, qui eripiat, & avertat impietatem a Jacob. Et hoc illis a me testamentum, cum abstulero peccata eorum*, Roman. cap. 11. v. 25. 26. & 27. Suis itaque retibus implicantur Judæi, dum ista suffugia quærunt, ut eliquatissimæ veritati nebulas offundant, divinitatemque singularem promissi Messiæ prærogativam inficientur.

Reponunt rursus alii, Christianos non propterea Messiam Deum dicere posse, *quia egressus ejus ab æterno, a diebus sæculi est;* cum septem res, ut ferunt, per duo millia annorum ante mundi constitutionem creatæ fuerint. Colligunt autem horum ludicrorum inanias ex eo quod habetur in libro *Pesach seni*, idest, Pascha secundum, in *pereck*, hoc est, in capite in quo sic legitur: *traditum est septem res creatas fuisse, antequam mundus crearetur: hæ sunt lex, pœnitentia, gehenna, domus Sanctuarii, thronus gloriæ, hortus voluptatis, & nomen Messiæ.* Id idem habetur & in glossa lib. Numer. cap. 7.

Mirum non est, si insania & cæcitate merito a Deo perculsi, tam stulta, & absurda loquantur. Quis enim commentum hoc nisi a ratione prorsus carentibus proditum existimaret? Si enim Deus in principio ante quod nihil præter Deum erat, creavit cœlum, & terram, in quo loco, aut in qua terra plantatus tunc erat hortus voluptatis? Ante cœli, & terræ creationem ubi latebat, aut ubi apparebat hortus ille, quem constat creatis cœlo, & terra fuisse plantatum in terra? Quomodo etiam credere possunt, legem quæ præcipit dentem pro dente, oculum pro oculo, manum pro manu repeti, ante mundi conditionem creatam fuisse,

cum

cum nondum dens, neque oculus, neque manus fuerint? Quod de omnibus quoque judicialibus dici poteſt. Lex etiam mandat ſabbatum cuſtodiri, ſacrificia, & circumciſionem fieri: quæ nec erant ante mundi conſtitutionem, neque aliquis extabat, qui hujuſmodi præceptis adſtringi poſſet. Par quoque reſponſio de cæteris cæremonialibus eſſe poteſt. Lex præterea præcipit non occidendum, non furandum, non mæchandum: ecquis ergo dicat eam legem ante orbem conditum factam eſſe? quando erat nemo qui vel ageret iſta, vel pateretur. Quod de cæteris etiam moralibus dici poteſt. Quomodo inſuper dicere poſſunt, pœnitentiam, quæ naturaliter peccatum ſubſequitur, peccatum ipſum atque peccatorem præceſſiſſe? Et gehennam qua ratione ante mundum conditum creatam aſſerunt, cum ſuum Talmud aperte contra ſeipſos habeant, etiam eo in libro quem pro ſe allegant? Legant igitur ejuſdem libri *Peſach*, caput quod *Makom* incipit: ibi enim R. Joſes ita dixiſſe fertur: *ignis quem Deus ſanctus & benedictus in ſecunda ſabbati, ideſt, feria ſecunda creavit, non extinguetur in æternum, ſicut dictum eſt Iſaiæ ultimo: & egredientur, & videbunt cadavera virorum reorum in me: quia vermis eorum non morietur, & ignis eorum non extinguetur: & erunt ſcatebra vermium univerſæ carni*. Traditio quoque eſt, quod dixerit R. Babas quem ipſi Bava vocant, *cur non fuerit dictum in ſecunda ſabbati, & vidit Deus quod eſſet bonum? propterea, quia in ea creatus eſt ignis gehennæ*. Hæc omnia ibi. Ex quibus, perſpicuum eſt, falſum prorſus eſſe, ignem gehennæ ante mundi creationem productum fuiſſe. Domus Sanctuarii præterea, quæ fuit manu facta, atque de rebus creatis extructa, quomodo ante ipſa ex quibus conſtitit, extare potuit? Demum, qui ex ſemine Adami ſecundum naturam humanam natus eſt, quomodo ante Adamum creatus fuit? Quæ igitur major dementia eſſe poteſt, quam talia credere, ne dum dicere? Palpant ergo ut cæci parietem, juxta illud Iſaiæ capite 59. verſu 10. in perſona eorum dicentis: נגששה כעורים קיר . וכאין עינים נגששה : *palpavimus ſicut cæci parietem, & velut abſque oculis attrectavimus*. Meſſias igitur non eam ob rem *ab æterno, a diebus ſæculi* eſſe dicitur, ut tunc creatum

fuisse nomen ejus insinuetur, cum *ab æterno*, *a diebus sæculi* nihil omnino creatum fuerit: sed ut Messias ipse secundum divinitatem *ab æterno* a Patre genitus ostendatur. Et ideo sacer Vates dixit t *& egressus ejus*, vel illius generatio *ab æterno*, *a diebus sæculi*.

Hanc ipsam veritatem Catholicam de Messiæ divinitate, & humanitate confirmant alia non pauca Vatum Oracula. Zachariæ cap. 2. v. 8. & sequent. כי כה אמר יהוה צבאות אחר כבוד שלחני אל הגוים השללים אתכם כי הנגע בכם נגע בבבת עינו : כי הנני מניף את ידי עליהם והיו שלל לעבדיהם וידעתם כי יהוה צבאות שלחני : רני ושמחי בת ציון כי הנני בא ושכנתי בתוכך נאם יהוה : ונלוו גוים רבים אל יהוה ביום ההוא והיו לי לעם ושכנתי בתוכך וידעת כי יהוה צבאות שלחני אליך *quia sic dixit Dominus exercituum: post gloriam misit me ad Gentes, quæ spoliaverunt vos: qui enim tetigerit vos, tangit pupillam oculi ejus. Quia ecce ego levo manum meam super eos, & erunt spolium servis suis: & scietis quod Dominus exercituum miserit me. Lauda, & lætare filia Sion, quia ecce ego veniam, & habitabo in medio tui, ait Dominus. Et applicabuntur Gentes multæ ad Dominum in die illa, & erunt mihi in populum, & habitabo in medio tui: & scies quod Dominus exercituum miserit me ad te*. Dominus exercituum hic loquitur, & a Domino exercituum se missum significat, ut in medio populi sui habitet: Jesus scilicet noster verus Messias, verusque Deus, ac Dei filius, a Deo Patre, cum quo tamen natura unus est Deus, etsi persona distinctus ab eo, missus in mundum est, & homo factus, medius nostrum stetit, & habitavit in nobis. Incarnationis vero ejus fructus fuit conversio Gentium plurimarum ad Dominum, quæ Christo in Gentem sanctam, & populum acquisitionis factæ sunt, ab eoque populus Christianus sunt appellatæ. Et cap. 12. v. 10. ושפכתי על בית דויד ועל יושב ירושלם רוח חן ותחנונים והביטו אלי את אשר דקרו *& effundam super domum David, & super habitatores Jerusalem spiritum gratiæ, & precum, & aspicient ad me quem transfixerunt*. Ex quo sic argumentari lubet: qui istic verba facit, Deus verus certe est; nec enim alius spiritum gratiæ, & precum, spiritum nimirum sanctum, super domum David, & super habitatores Jerosolymæ effundere potuit, nisi Deus: is ille porro futurum promittit, ut in eum aspiciant Jerosolymorum habitatores, posteaquam ante transfixerint. Deum igitur in suscepta profecto hominis natura, & aspecturi erant, & tran-

transfixuri Jerosolimæ habitatores: isque vicissim hominis naturam susceptururus erat, ut ab iis transfigi posset.

Isaiæ cap. 45. v. 14. & 15. כה אמר יהוה יגיע מצרים וסחר כוש וסבאים אנשי מדה עליך יעברו ולך יהיו אחריך ילכו בזקים יעברו ואליך ישתחוו אליך יתפללו אך בך אל ואין עוד אפס אלהים : אכן אתה אל מסתתר אלהי ישראל מושיע *sic dixit Dominus: labor Ægypti, & negotiatio Æthiopiæ, & Sabaim viri mensuræ super te transibunt, & tui erunt: post te ambulabunt, in compedibus transibunt, & te adorabunt, teque deprecabuntur: tantum in te est Deus, & non est absque te Deus. Vere tu es Deus absconditus, Deus Israel Salvator.* His verbis, ubi ea quis attente meditetur, duæ quasi personæ colloquentes inducuntur. Prior est nobilis quædam & eximia persona, quæ lætissima nuntiat Ecclesiæ: quam personam dignissimam esse, quæ Messiæ tribuatur, vel ipsi Hebræi fatebuntur. Mox certus aliquis chorus ei nuntio respondet, eique pro talibus promissis agens gratias, aperte Deum appellat, & quidem absconditum, ipsum illum, qui tanta attulerat nuntia: atqui Messias is erat, idest, Christus; ergo ex professione Isaiæ, Deus esse debuit, & quasi talis expectandus Christus Redemptor Ecclesiæ: Deus, inquam, sub velo Sanctissimæ humanitatis suæ, sub servi habitu, ac peccatoris specie delitescens; Deus Salvator, & liberator; Deus Israel, non solum secundum carnem, verum etiam secundum spiritum; Deus creaturarum omnium, peculiari autem ratione eorum Deus, qui illum venerantur, & colunt; Deus absque quo non est Deus, hoc est, qui solus est Deus, ex trita loquendi formula, cap. 44. Isaiæ usurpata, v. 6. כה אמר יהוה מלך ישראל וגאלו יהוה צבאות אני ראשון ואני אחרון ומבלעדי אין אלהים *sic dixit Dominus Rex Israel, & redemptor ejus Dominus exercituum: ego primus, & ego novissimus, & præter me non est Deus.*

In eundem plane sensum cap. 48. v. 12. & seq. שמע אלי יעקב וישראל מקראי אני הוא אני ראשון אף אני אחרון : אף ידי יסדה ארץ וימיני טפחה שמים . . . . קרבו אלי שמעו זאת לא מראש בסתר דברתי מעת היותה שם אני ועתה אדני יהוה שלחני ורוחו : כה אמר יהוה גאלך קדוש ישראל אני יהוה אלהיך מלמדך להועיל *audi me Jacob, & Israel, quem ego voco: ego ipse, ego primus, etiam ego novissimus. Etiam manus mea fundavit terram, & dextera mea mensa est cœlos . . . . . Accedite ad me, audite hoc: non a principio in abscondito locutus sum: ex tempore sui esse, ibi ego eram: &*

& nunc Dominus Deus misit me, & spiritus ejus. Sic dixit Dominus redemptor tuus sanctus Israel: ego Dominus Deus tuus docens te utilia. Qui igitur cœli, & terræ conditor est, quique a Domino missus est in salutem, & redemptionem Israelis, Deus verus est a Deo vero missus; cum quo tamen unus, ac solus est Deus, unitate nempe naturæ, etsi persona ab eo distinctus. Quis ille porro, nisi Messias Israeli, ac per Israelem mundo promissus? Deum itaque de Deo fateri necesse est, Deum verum de Deo vero, ad salutem humani generis missum, ut in suscepta hominis natura Israelem redimeret.

Plura addere facile fuerit, sed jam satis probationum. Audiendi modo Judæi. Reponent illi forte, Deum, ex Zachariæ laudato Vaticinio, cap. 2. v. 8. & sequent., in medio Sion habitaturum, non persona propria, naturæ nostræ substantialiter unita, atque ita hominum oculis conspicua; sed sola mirandorum facinorum patratione, quæ in electi populi beneficium editurus erat.

At si non alio pacto Deus habitare debuisset in Sion, nihil singulare, ac peculiare in futurum tempus promisisset Zacharias, ut diceret, *lauda, & lætare filia Sion, quia ecce ego veniam, & habitabo in medio tui:* cum tot tantaque miracula, atque prodigia, in tradenda disciplinæ lege, diu ante edidisset. Ut prætercam, Deum, quod in hominum beneficium miranda facinora, atque portenta patret, non idcirco censeri, cum hominibus habitare; nisi quamdam nobiscum in naturæ communione, societatem habeat. Accedit, quod patrationem mirabilium operum Sacri Vates quandoque notent, tanquam quid consectarium, ac veluti fructum Dei ipsius ad nos venientis. Isaiæ cap. 35. v. 4 & sequent. הוא יבוא וישעכם : אז תפקחנה עיני עורים ואזני חרשים תפתחנה : אז ירלג כאיל פסח ותרן לשון אלם *ipse* (Deus) *veniet, & salvabit vos. Tunc aperientur oculi cæcorum, & aures surdorum patebunt. Tunc saliet sicut cervus claudus, & laudabit lingua muti.* Quibus paria leguntur cap. 25. v. 9. & sequent. Non igitur eatenus Deus ipse in Sion habitasse censendus est, non eatenus nobiscum est versatus, quod ejus nomine atque virtute miranda facinora sint patrata; sed quod præsens ipse, nobisque in humana natura sibi unita conspicuus, miranda illa facinora patravit, nostramque salutem sit operatus.

Re-

Reponent forte rursus: quomodo possibile erit Deum mitti, aut esse missum? nonne mittentem oportet distinctum esse a misso? nonne mittens majorem præ misso importare videtur dignitatem, atque ita inæqualitatem? quomodo ergo unitas Dei in substantia, vel essentia defendi poterit?

Licet porro, Deum a Deo esse missum omnem rationem excedat humanam (generationem ejus quis enarrabit? Isaiæ cap. 53. vers. 8.) eo quod incomprehensibilia sint Sanctissimæ Trinitatis mysteria, ejusque viæ investigabiles: esse tamen possibile, & credibile Deum a Deo esse missum nemo inficiari valet, qui Novi, Veterisque Testamenti profitetur veritatem. Deum enim missum a Deo, ex laudatis jam Oraculis perspicuum est. Neque missio divina aliquid ullo modo prorsus officit unitati divinæ, nec aliam in Deo importat distinctionem, quam tres ut personæ divinæ sint in una omnino eadem divina subsistentes essentia. Neque pariter ullam in personis importat imperfectionem, aut inæqualitatem, eo quod non sit missio a superiore ac natura diversa potestate imperante; sed tantum manifestatio & operatio personæ invisibilis, secundum alterius consubstantialis sibi personæ voluntatem. Distinguitur itaque Deus mittens a Deo misso, non quoad essentiam, ut Theologi loquuntur, sed quoad personam: mittitur persona divina non a majori, nec a minori, sed ab æquali in divinitate a qua persona emanat: nec separatur, nec separari, aut dividi potest in divinis missus a mittente; missus enim & mittens unus est idem in natura & essentia divina; unde sicut eadem & omnimoda æqualitas est in misso & mittente, sic & eadem omnimoda dignitas sive de persona Patris, sive de persona Filii, sive de persona Spiritus Sancti sermo sit.

Neque audiendi sunt nonnulli, verba illa laudati Oraculi Isaiæ capite 48. versu 16. *ex tempore fui esse, ibi ego eram: & nunc Dominus Deus misit me, & spiritus ejus*, interpretantes de Isaia, quem una cum aliis Prophetis in monte Sina astitisse, cum lex Mosi data fuit, ibique eis prophetias traditas fuisse, comminiscuntur.

Nam hujusce commenti absurditas, atque falsitas ex eo potissimum patet, quod neque Moses, neque aliquis Prophetarum inveniatur, qui de hoc aliquando meminerit. Neque si dixerint, Vatum ani-

animas absque corporibus dationi legis interfuisse, (quod eorum errorem sapere videtur, qui omnes animas simul fuisse creatas ajunt) hoc eorum insaniam operire poterit: cum & Sacræ Scripturæ, & Doctorum suorummet veterum judicio aperte repugnet. Siquidem in *Beresfith rabba*, eo in loco ubi Genes. 5. dicitur, hic liber generationis Adam, sic legitur: *scriptum est Isaiæ* 57. *quia non in sempiternum litigabo cum Adam primo, neque in finem irascar cum generationibus ejus: quoniam spiritus a facie mea amiciet, vel induet. R. Tanbum dixit: non veniet Rex Messias* (in secundo scilicet adventu) *quousque creentur omnes animæ, quæ ascenderunt in cognitionem Dei, ut crearentur. Unde probatio? ex eo quod dictum est Isaiæ* 57. *& animas ego feci: idest, propter animas ego feci, supple, mundum.* Quibus ex verbis manifestum est, animas usque ad mundi finem, quotidie creari. Quod longe clarius habetur ex eo, quod R. Kimchi in libro *Serassim* dicit, cum exponens illud Zachariæ 12. cap. *& formans spiritum hominis in medio ejus*, ita inquit: *exposuit hoc magister noster Saadias, quod ex eo quod ait, in medio ejus, vult dicere, quod creator creat animam cum perfectione humani corporis: & hoc est quod dicit, in medio ejus.* Hæc R. ille Kimchi. Ex iis igitur perspicuum est, a veritate longe alienos esse, qui Prophetarum animas quas multo post creari contigit, in monte Sinai cum lex Mosi traderetur, adfuisse fabulantur. Hinc Geneseos cap. 2. v. 7. *& formavit Deus hominem e pulvere terræ, & inspiravit in faciem ejus spiraculum vitæ, & fuit homo in animam viventem.* Ex qua auctoritate perspectum est, animam creari, & infundi in corpore humano jam formato. Et sic clarum est, quod nullo modo de Isaia intelligi possunt laudata verba, *ex tempore sui esse, ibi ego eram*, &c.

Neque audiendi sunt alii, qui verba illa laudati Oraculi Zachariæ cap. 12. v. 10. *& aspicient in me quem transfixerunt*, referunt ad quemdam filium Josephi, quem olim interficiendum esse ab impio & monstroso Armillo, fabulantur, ut capite quarto observavimus; aut ad Judam Machabæum ab hostibus occisum.

Vox enim *me*, significat hic loqui eum, qui spiritum gratiæ, & precum se effusurum promittit, quod Dei solius est. De Jesu igitur nostro patiente impletum jure dicimus Vaticinium Zachariæ, cum & illum Judæi transfixerint, & illi Cruci affixo Judæi petulantius insultarint: de quibus narrat Matthæus cap. 27. v. 39.
&

& 40. *prætereuntes autem blasphemabant eum moventes capita sua, & dicentes: vah qui destruis Templum Dei, & in triduo illud reædificas: salva temetipsum: si filius Dei es descende de Cruce.* De Christi Jesu supplicio istic esse prophetiam, & sermonem, docet etiam, & interpretatur Joannes cap. 19. ubi cum narrasset milites non fregisse Christi crura, eo quod viderant eum jam mortuum, v. 36. & 37. inquit: *facta sunt enim hæc, ut scriptura impleretur: os non comminuetis ex eo. Et iterum alia scriptura dicit: videbunt in quem transfixerunt.* Hæc quippe in Christum Jesum torquere minime fuissent ausi Novi Testamenti Scriptores, ut sæpe jam dixi, nisi receptam esse in vulgus opinionem hanc scivissent. Indidem petitum videtur istud Christi Jesu apud Matthæum cap. 24. v. 30. *& tunc parebit signum filii hominis in cœlo; & tunc plangent omnes Tribus terræ, & videbunt filium hominis venientem in nubibus cœli cum virtute multa, & majestate.*

At erit forte qui dicat: Zacharias post illa verba, *& aspicient ad me quem transfixerunt*, continuo subdit: *& plangent super eum veluti planctum super unigenitum;* non vero subdit, *plangent super me.* Igitur alius est gratiæ largitor, alius transfixus, & lamentis ac planctibus comploratus.

Verum non est ita, inquam, non est ita. Ille quippe qui spiritum gratiæ, & precum super domum David, & super habitatores Jerusalem effusurus erat, in persona quidem una est Deus & homo Christus, quemadmodum Zachariæ verba superius a me allegata demonstrant. Non tamen secundum unam naturam ista duo ei conveniunt; quia effundere gratiam ei convenit secundum divinam naturam quam habet ab æterno; esse vero transfixum convenit ei secundum humanitatem quam in tempore assumpsit: & ideo ut sacer Vates innueret istud mysterium de duplici natura in ipsomet Messia, cum dixisset, *aspicient ad me quem transfixerunt*, illico subdit, *& plangent super eum*, ut designet aliam naturam esse secundum quam transfixus est, a natura secundum quam spiritum gratiæ, & precum effundit.

At ecce denique insurgit illorum unus: si Jesus vester, inquit, Deus fuit, quorsum igitur clamabat moriens: *Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquisti me?* Matthæi cap. 27. v. 46.


Non est tamen difficile momentum hoc refellere. Nos Jesum nostrum respondemus Deum fuisse, & hominem, nec humani quic-

quicquam, præter peccatum, ab eo alienum fuisse, juxta illud Pauli ad Hebræos cap. 4. v. 15. *tentatum autem per omnia pro similitudine, absque peccato;* & illud 1. Petri cap. 2. v. 22. *qui peccatum non fecit, nec inventus est dolus in ore ejus:* ac idcirco nobis a natura insitum doloris, & mortis horrorem vere eum sensisse, ideoque in querelas more humano erupisse; sic tamen ut compreisa, & devicta acerbitate dolorum, paternis imperiis prono animo obsequeretur.

Reponet fortasse: Deus venturum Messiam hisce verbis promisit Mosi, Deuteronomii cap.18. v.18. נביא אקים להם מקרב אחיהם כמוך ונתתי דברי בפיו ודבר אליהם את כל אשר אצונו *Prophetam suscitabo eis de medio fratrum eorum sicut tu: & ponam verba mea in ore ejus, & loquetur ad eos omnia, quæ præcepero ei.* Non esset autem similis Mosi si Deus reipsa esset.

Sed cur non, obsecro, ex quo Deus assumpsit naturam humanam, ex conditione ipsius Mosi consimilis esset, qui nobis omnibus a Paulo assimilis dicitur? Ad Philippenses cap. 2. v. 7. *in similitudinem hominum factus, & habitu inventus ut homo.* Quamquam ex divinæ naturæ conditione Mosem innumeris titulis excedat.

Sed, finis esto. Namque omnia persequi, & colligere, infinitum est, & vero supervacaneum. Qui plura cupit adeat Theologos de mysterio SS. Trinitatis, ac Verbi Divini Incarnatione, pertractantes.



DIS-



DISSERTATIO DECIMA.



MEssias Deus, & homo a Sacris Vatibus pronuntiatus, non communi generatione, cæterorum hominum more proditurus erat in lucem; sed partu Virgineo, qui Deum factum hominem deceat.

Promissi Messiæ divinitate, quantum ex Prophetarum Oraculis licuit, bono in lumine collocata; id unum nobis in præsentia reliquum est, ut illum non communi fatu, cæterorum hominum more proditurum in lucem; sed partu Virgineo, qui Deum factum hominem deceat, ostendamus. Virginem porro futuram fuisse Messiæ matrem, Judaica impietas minime inficiari potest. Hoc enim & per legem, & per Vatum Oracula dilucide demonstratur. Et primum quidem sunt qui ad hoc urgeant id quod habetur Exodi cap. 13. vers. 2. קדש לי כל בכור פטר כל רחם בבני ישראל באדם ובבהמה *sanctifica mihi omne primogenitum apertionem omnis vulvæ* (idest, quidquid vulvam primo aperit, seu, e vulva primo emittitur, hoc est, primogenitum) *in filiis Israel, tam in homine, quam in jumento*. Ut quid enim, ajunt, clausula illa, *apertionem omnis vulvæ;* si nullus unquam futurus erat, qui matris vulvam non aperiret, atque ex matre integra nasceretur? Certa aut supervacua plane circumscriptio illa fuit, quod absit cogitare cum sit verbum Dei; aut futurus est masculus, qui clausa vulva ex utero matris egredietur. Pariter Levitici cap. 12. v. 2. אשה כי תזריע וילדה זכר וטמאה שבעת ימים *mulier cum seminificaverit, & pepererit masculum, immunda erit septem diebus*. Quid hoc quoque, *cum seminificaverit, & pepererit;* si nulla un-

quam mulier, nisi suscepto semine, paritura erat? Cum itaque naturaliter nulla mulier sine semine parere possit: sacer autem textus dicat, *mulier cum seminificaverit, & pepererit masculum;* sequitur profecto quandoquè mulierem aliquam nullo suscepto virili semine parituram esse masculum, atque ab omni macula mundam futuram. Hæc autem alia futura non erat nisi mater Messiæ. Sed longe majus, & vere ineluctabile pondus inest sequenti loco Isaiæ cap. 7. v. 14. לכן יתן אדני הוא לכם אות הנה העלמה הרה וילדת בן וקראת שמו עמנואל *ideo dabit Dominus ipse vobis signum: ecce virgo concipiet, & pariet filium, & vocabitur nomen ejus Emmanuel.* Quæ quidem verba etsi tam clara sint, ut expositione non egeant, ea tamen Judæi hujusce temporis multifariam a vero sensu detorquere conantur: quorum calumnias, cum ad ipsorum momenta respondebimus, refellemus. Nec non Jeremiæ cap. 31. v. 22. ברא יהוה חדשה בארץ נקבה תסובב גבר *creabit Dominus novum super terram, mulier circumdabit virum.* Profecto communis fœtus concipiendi ratio hic non prædicitur: quorsum enim dixisset Propheta: *creabit Dominus novum super terram?* qua præmonitione uti solent Scriptores Sacri, cum magnum quid & insolitum portenditur. Sic Deus apud Isaiam cap. 43. v. 19. ait: הנני עשה חדשה עתה תצמח הלא תרעוה אף אשים במראר דרך בישימון נהרות *ecce ego facio novum, nunc orietur, nonne cognoscetis illud? etiam ponam in deserto viam, & in solitudine flumina.* Ergo prodigialis filii conceptus apud Jeremiam prædicitur, quem ad mirabilem Messiæ ortum pertinere R. Moses Hadarsan ultro agnoscit. Præterea, si verba Jeremiæ non intelligenda essent de mirabili Messiæ ortu ex illibata Virgine, nihil mysterii prorsus, nihil novi iis verbis inesset: nam aut illa viri a fœmina circumdatio erit a fœmina legitimo juncta matrimonio, aut ab adultera, aut fornicaria, aut a Virgine? Si primam, secundam, vel tertiam intelligant Judæi: qua ratione ergo poterat Propheta prædicere, *creabit Dominus novum super terram?* Si enim per virum intelligant infantem, aut per fœminam, fœminam legitima, vel illegitima copula concipientem, & ita circumdantem, hoc non esse novum, sed quotidianum universo constat orbi. Fateantur itaque velint, nolint miseri Judæi de illibata virgine virum circumdante laudatum Jeremiæ Oraculum intelligendum esse: novum siquidem est quod virgo circumdet virum, non

autem

autem quod mulier legitimo juncta matrimonio, aut adultera, aut fornicaria.

Plura addere facile esset, præcipue vero figuras, quibus matris Messiæ virginitas prænuntiata, atque declarata fuit: sed jam satis est probationum. Audiendi modo Judæi in oppositum adnitentes, matremque Messiæ non virginem futuram ostendere aggredientes.

Reponunt itaque primo: Isaias loquitur de ejusmodi partu, qui potuerit esse signum futuræ liberationis promissæ Achazo, a duobus Regibus Rasin & Phacee obsesso: terram enim duorum illorum Regum Jerusalem obsidentium derelinquendam esse prædicit, priusquam sciat puer ille reprobare malum, & eligere bonum: absurde ergo applicatur Vaticinium illud ad partum Virgineum, ortumque Messiæ, quem Christiani annis circiter sexcentis post Achazi obitum contigisse opinantur. Signum enim promissionem confirmans ipsius antecedere debet complementum : alias nullam nobis promissæ rei fidem faciet.

Facile quippe nobis erit huic momento respondere, si prius pro veritatis propheticæ intellectu, historiam summatim notaverimus. Tempestate ergo qua Achaz in Judæa regnabat, Rasin Rex Syriæ, & Phacee Rex Israel sociatis viribus, & copiis urbem Jerosolymam obsidione cinxerant, eamque vehementer urgebant, & Achazum Regem Juda ad extremas angustias adigebant, ut legitur Isaiæ cap. 7. & lib. 4. Regum cap. 16. Tunc Deus misit Isaiam Prophetam ad Achazum periclitantem, ut eum moneret, ne ab illorum Regum copiis metueret. Ipse autem ut pravus, & incredulus, minus integram fidem Prophetæ habuit; quod in tam præcipiti rerum eventu promissam liberationem ab omni veri specie remotissimam judicaret. Quapropter Sacer Vates eum monuit, ut qui sibi fidem non præstaret, peteret signum unde certior fieret divinæ opis, dicens, *pete tibi signum a Domino Deo tuo in profundo inferni, sive in excelsum supra*. Ille autem cum impius esset, nolens a Deo signum petere, excusationem prætulit; enimvero esse hoc tentare Deum, unde ait: *non petam, & non tentabo Dominum*. Tunc despectum se sentiens divinus Vates, converso sermone ad domum David, cui duram in Deum cervicem exprobravit, futurum promisit, ut Deus sponte sua portentum omnium maximum ederet, Virginis, nimirum, pariturae,

 cujus

cujus filius *Emmanuel*, hoc est, nobiscum Deus nuncupandus esset. Ex quibus perspicuum est prodigiale illud signum de virginis conceptu, & partu non Achazo ipsi ab Isaia datum fuisse, sed domui David: *audite nunc domus David*, ex cujus semine secundum carnem nasciturus erat Messias. Itaque ne dicant, id signum uni fuisse datum Achazo; neque potuisse ad alia pertinere, quam quæ tunc temporis agebantur.

Ad illud autem quod dicitur, ortum Jesu nostri, annis circiter sexcentis post Achazi obitum contigisse, conceptionemque ejus ex virgine signum liberationis prædictæ a duobus illis Regibus esse non potuisse: dicimus duplex divinis in Scripturis reperiri signum: unum prognosticum, rememorativum alterum. Prognosticum quidem est respectu futuri eventus; cujusmodi fuit illud, quod idem Isaias Propheta Regi Ezechiæ in signum futuræ sanitatis, & ascensionis die tertia in Templum Domini dedit, dicens lib. 4. Regum cap. 20. v. 9. זה לך האות מאת יהוה כי יעשה יהוה את הדבר אשר דבר הלך הצל עשר מעלות אם ישוב עשר מעלית *hoc tibi signum a Domino, quod facturus sit Dominus verbum, quod locutus est: num vis vadat umbra decem gradibus, an revertatur decem gradibus?* Et rogante Ezechia ut reverteretur umbra per gradus ויקרא ישעיהו הנביא אל יהוה וישב את הצל במעלות אשר ירדה במעלות אחז אחרנית עשר מעלות *clamavit Isaias Propheta ad Dominum, & reduxit umbram per gradus quos descenderat, per gradus Achaz retrorsum decem gradibus*, v. 11. Rememorativum vero respectu præteriti, cujusmodi illud fuit, quod Mosi Dominus dedit Exodi cap. 3. v. 12. dicens: וזה לך האות כי אנכי שלחתיך בהוציאך את העם ממצרים תעבדון את האלהים על ההר הזה *& hoc erit tibi signum, quod ego miserim te: cum eduxeris populum de Ægypto, coletis Deum super montem istum:* hic porro cultus populi exitum, Mosisque missionem subsecutus est. Non ergo partus Virgineus, ortusque Messiæ tanquam prognosticum liberationis Achazi signum datum est a Deo domui David: imo potius tamquam signum rememorativum, ut ita loquar prophetiæ præcedentis.

Neque obstat magna temporis distantia, cum ita signum rememorativum in magna distantia præteritum respiciat, sicut & prognosticum respicit futurum: decuit quippe signum hoc in magna distantia dari, ut Achaz qui verbo Prophetæ incredulus fuit, ita signum illud tempore dissitum a se haberet, uti a credendo

ipse

ipse mente erat alienus. Sed ejus posteri tandem aliquando id erant visuri. Ideo prodigiale illud signum ab Isaia datum est non ipsi Achazo, sed domui David.

Reponunt rursus, perperam in Vulgata Christianorum versione legi, *ecce virgo concipiet, & pariet filium;* cum Hebraica dictio istic usurpata העלמה *baalma*, non virginem, sed puellam adolescentulam, sive integram, sive corruptam, sive virum expertam, sive intactam, sive nuptam, sive innuptam notet. Ajunt præterea, etiamsi concedatur voce *baalma*, virginem significari, non inde effici virginem significari, quæ integritatem in conceptu, & partu servaverit; sed quæ aliarum more adolescentularum amissa virginitate filium conceperit, & pepererit. Denique, prædictum eo Isaiæ Oraculo volunt longe alium a Messia; Ezechiam, videlicet, filium Regis Achazi, ut aliquibus arridet; seu etiam ipsius Isaiæ filium, ut alii magis probant.

Sed hæc tria momenta nullo negotio refelluntur. Ad id ergo quod primo loco positum est, respondemus legendum omnino in Isaiæ Oraculo, *ecce virgo concipiet;* nec dictionem illam Hebraicam *baalma*, præcipue cum litera ה illi præponitur, ancipitem esse, & in puellam, sive quæ virum passa sit, sive quæ ejus sit expers, ex æquo congruere. Nam etiam sine articulo עלמה nonnisi virginem notat; cum eo autem multo magis. Sed ei soli convenire affirmamus, quæ virginitatem adhibita custodia servaverit. Enim vero dictio *baalma*, a themate Hebraico עלם *alam*, quod abscondere, sive celare proprie significat, originem ducit: hincque ad designandam virginem viro prorsus incognitam desumpta est. Magna quippe a veteribus diligentia asservabantur pueri, & adolescentes; multo majore etiam virgines, quæ ab omni fere hominum accessu prohibebantur. Mentio fit in libro Ester cap. 2. v. 11. & 15. & in lib. 2. Machabæorum cap. 3. v. 19. Tum apud Josephum lib. 7. antiquitatum Judaicarum cap. 10. ut Scriptores profanos silentio prætercam. Hinc Salomon virginem describens in Canticis cap. 4. v. 11. גן נעול אחתי כלה גל נעול מעין חתום *hortus conclusus*, inquit, *soror mea sponsa, scaturigo obserata, fons obsignatus;* quod nempe virgo clausa, obserata, obsignataque esset, atque inviolatum virginitatis suæ sigillum, & integra pudoris claustra servaret.

Catho-

Catholicam veritatem confirmant alia non pauca divinarum litterarum exempla, ubi eadem illa dictio *baalma*, cujus occasione cavillari Hebræi solent, ad virginem integram designandam usurpata est, præmissa litera ה *he*. Geneseos cap. 24. v. 43. ubi de Rebecca sic dicitur: הנה אנכי נצב על עין המים והיה העלמה היצאת לשאב ואמרתי אליה השקיני נא מעט מים מכדך *ecce ego sto juxta fontem aquæ, & erit baalma*, idest, *virgo egrediens ad bauriendum, & dicam ei, da mihi quæso parum aquæ ad bibendum ex hydria tua*. Quæ dum *baalma* vocata est, virgo erat nondum certe deflorata, ut perspicuum est ex v. 16. ejusdem capitis: והנער טבת מראה מאד בתולה ואיש לא ידעה *& puella pulchra aspectu valde, virgo: & vir non cognoverat eam*. Et Exodi cap. 2. v. 8. Mariæ sorori Mosis, quæ virgo erat, id ipsum nomen tribuitur: ותלך העלמה ותקרא את אם הילד *& perrexit virgo, & vocavit matrem pueri*.

Adstipulatur R. David Kimchi in libro *Serassim*, idest, radicum, & huic nomini, quod Rebeccæ adscriptum est, absconsionis significationem inesse docet. Aquila quoque ad illum Geneseos locum, ubi nomen *baalma* Rebeccæ tribuitur, vertit *absconditam*. Quamobrem *Alma* apud Judæos adolescentulam aspectibus hominum absconditam, celatam, & occultam, atque omnino intactam significat, de cujus pudicitia atque integritate nullum sit dubium, maxime cum ei præponitur articulus, qui apud Hebræos est hæc litera ה *he*, quæ dictionem determinate significare facit, & sæpe additur his quæ vel nota sunt, vel de quibus prius facta est mentio. Nec in tota Scriptura Sacra invenitur dictio hæc העלמה *baalma* cum litera ה *he* scripta, nisi tribus in locis laudatis, nimirum Geneseos cap. 24. v. 43. Exodi cap. 2. v. 8. & Isaiæ cap. 7. v. 14. Tribus his quippe locis dumtaxat exceptis, nullus in universa, qua late patet Scriptura Sacra, contextus adnotari potest, ubi ea Hebraica dictio *baalma* cum litera præposita legatur: si igitur duæ priores, Rebecca scilicet, & Maria soror Mosis sic denominatæ, virgines intactæ erant, absconditæ, & viris non cognitæ, cum ita denominarentur, id idem fatendum est de ista de qua Isaias loquitur: cum juxta Sapientum sententiam, de omnino consimilibus, idem omnino debeat esse judicium. Eam ob rem septuaginta Interpretes, qui, & genere, & religione Judæi erant *baalma*, nulla circuitione usi verterunt Παρθένον *Parthenon* (Virginem.)

ginem.) Ita pariter habent Paraphraſes Chaldaicæ, Verſiones Syriaca, & Arabica, virginem perinde vertentes. Virginem etiam Punica lingua, quæ Hebraicæ propago eſt, *Alma* appellari teſtificatur Hieronymus Hebraicæ linguæ peritiſſimus in ſuis ad Iſaiam commentariis; qui & ſubinde addit, haudquaquam ſe meminiſſe vocem hanc ad mulierem nuptam ſignificandam unquam fuiſſe adhibitam, ſed ad notandam virgunculam. *Oſtendant itaque Judæi*, inquit ille, *in ſcripturis alicubi poſitum eſſe Alma, ubi adoleſcentulam tantum, non virginem ſonet, & concedimus eis illud, quod in Iſaia apud nos dicitur: ecce virgo concipiet, & pariet filium, non abſconditam virginem, ſed adoleſcentulam ſignificare jam nuptam*. Quocirca tria eſſe Hebraica nomina, idem fere ſignificantia, obſervant quotquot Hebraice ſciunt, quæ ſolent hanc ad rem divinis in Scripturis uſurpari: videlicet נערה *Naara*, בתולה *Betula*, & עלמה *Alma*. *Naara*, quod puellam, ſive adoleſcentulam ſimpliciter ſignificat, ſeu virgo ſit, ſeu corrupta: eſtque propterea ætatis dumtaxat nomen. *Betula*, quod ex adverſo virginem deſignat, ſive adoleſcentula ſit, ſive ætate provecta: eſtque idcirco dumtaxa integritatis nomen. *Alma*, quod utrumque ſimul ſignificat, virginem ſcilicet, & adoleſcentulam, ut integritatis ſimul, & ætatis teneræ nomen ſit. Quapropter mulier quandiu adoleſcentula eſt, ſive virgo, ſive corrupta ſit, *Naara* nuncupatur: *Alma* vero nulla vocari poteſt, niſi adoleſcentula ſit, & virgo intacta. Quæ porro mulier ſive adoleſcentula ſit, ſive ætate provecta, quandiu virgo eſt, *Betula* appellari poteſt. Imo vero ne vox quidem *Betula*, virginem ſimpliciter, proprie, ac ſemper ſonat; nam apud Joelem cap. 1. v. 8. manifeſto uſurpatur ad ſignificandam viduam אלי כבתולה חגרת שק על בעל נעוריה *plange tanquam virgo accinta ſacco ſuper maritum adoleſcentiæ ſuæ*. Unde ſequitur ſolam dictionem *Alma* habere Hebræos, qua virginem proprie deſignent: eaque propterea uſum Iſaiam celebri illo, quod expendimus Oraculo, ut adoleſcentulam ſimul, & virginem parituram deſignaret.

Leve porro eſt quod objiciunt recentiores Hebræi, Aquilam, Theodotionem, & Symmachum, in hoc Iſaiæ Oraculo vertiſſe νεανίδα *neanida*, non παρθένον *parthenon*, adoleſcentulam, non virginem. Proſelyti ſane Judæi fuere Aquila, & Theodotion; adeoque non eſt mirum, eos quippe poſt adventum Chriſti viventes, undi-

undique occaſionem arripuiſſe ſuas verſiones opponendi Chriſtianis. Symmachus vero præterea Ebionitarum erroribus adhæſit, quibus Mariæ Jeſu Matris virginitatem negare, inſtitutum erat. Non mirum ergo quod *neanida*, non *parthenon* in hoc Iſaiæ Oraculo tranſtulerint, *adoleſcentulam*, non *virginem*, ut voce ſignificationis ancipitis fucum facerent, & locum ex quo palmare argumentum a Chriſtianis peti ſentiebant, verſione ſua elevarent. Νεανις *neanis* (Adoleſcentula) præterea vox, ut modo dixi, anceps eſt, puellam vel integram, vel vitiatam ſignificans: quo vero eam uſurpaverint ſenſu incertum eſt. His demum 70. Interpretum auctoritatem opponimus, qui verterunt *virginem*; nec non Latinæ Verſionis, Paraphraſis Chaldaicæ, Verſionum Syriacæ, Arabicæ, quæ, ut ſuperius obſervavimus, pariter habent: *ecce virgo concipiet*.

Leve quoque eſt quod objiciunt alii, vocem עלמות *Alamot* in Cantico Canticorum cap. 1. v. 3. adoleſcentulas, non virgines ſignificare: quippe amatoriis rebus virgines adhibere fuiſſe indecorum. Item Proverbiorum cap. 30. v. 19. dictionem עלמה *Alma* puellam notare, quæ viriles congreſſus experta ſit, ubi דרך גבר בעלמה *viam viri in virgine* ſe penitus ignorare Salomon ait.

Hæc, inquam, levia ſunt. Adoleſcentulas quippe illas, quarum ſit mentio cap. 1. v. 3. Cant. Cant. virgines, tori quoque expertes fuiſſe dico: eas enim, & a Reginis, & a concubinis, quæ virum, ſcilicet, paſſæ fuerant, aperte diſtinguit Salomon in eodem Cantico cap. 6. v. 7. ששים המה מלכות ושמנים פילגשים ועלמות אין מספר *ſexaginta ſunt Reginæ, & octoginta concubinæ, & adoleſcentularum* (Alamot) *non eſt numerus*. Nam quis non videt virgines intelligi, quæ ſi imminutæ fuiſſent, vel in Reginarum, vel in concubinarum numerum referrentur?

Quod ſpectat locum Proverbiorum, ſignificat Salomon, difficile eſſe virginis clam a viro corruptæ veſtigia deprehendere, ſi ea caute, & ſtudioſe occultare ſtudeat; quod non magno negotio fieri notum eſt, cum & impuras quaſdam mulieres operam ad id ſuam venditare, & præſtare nimis verum ſit: innumeræ quippe ſunt fœminarum artes, quibus turpitudinem ſuam abſcondunt. Dictio itaque *Alma* ſignificatum ſuum ibi retinet, ac virginem indicat, ſeu puellam, viro quidem maturam, ſed tamen innuptam. Nec alio ſenſu nomen iſtud ſumi opus eſt in ſequentibus

Salo-

Salomonis verbis כן דרך אשה מנאפת אכלה ומחתה פיה ואמרה לא פעלתי און *sic est via mulieris adulteræ, comedit, & tersit os suum, & dixit: non sum operata malum*. Id enim unum sibi vult Salomon, tanta arte virginem suam cum amatoribus familiaritatem celare, ut vix majore muliere adultera usu perita uti possit. Viam viri in virgine, exponunt alii amatorias artes a viris ad virginum devinciendos animos adhiberi solitas: innumeræ quippe sunt etiam artes juvenum, quibus virginum animos pelliciunt, & fallunt. Cadunt ergo omnia hæc Judaicæ expositionis fulcimenta.

Quanquam etsi daremus ancipitem esse dictionis *Alma* intellectum, & ad virgines integras æque ac corruptas referri, priorem sane obtinere istic significationem verba ipsa Isaiæ demonstrant. Conceptum enim virginis, tanquam signum proponit, hoc est, tanquam rem novam, inusitatam, prodigialem, naturæ vires superantem, quæ sola Dei omnipotentia fieri, ab eoque uno expectari possit: at novum non est, & inusitatum, naturæque vires & leges superans quod puella admisso viro, & delibata virginitate concipiat, & pariat filium more matrum omnium. Virginem itaque illibata virginitate concipientem, & parientem intellexit Isaias. Porro quod ab Isaia *signum* appellatum est, a Jeremia, ut superius observavimus, cap. 31. v. 22. *dictum est novum: creabit*, inquit, *Dominus novum super terram: mulier circumdabit virum*.

At aliud modo Judæis intercludendum effugium est, quo scilicet se proripiunt, postquam dictionis *Alma* vera ab eis significatio extorta est. Quanquam enim virginem significari concedant, inquiunt tamen, non inde effici virginem designari, quæ integritatem in conceptu, & partu servaverit, sed quæ aliarum more adolescentularum amissa virginitate filium conceperit, & pepererit: ac proinde Isaiam, cum dixit, *ecce virgo concipiet, & pariet filium*, id sibi voluisse, tum concepturam, & parituram virginem, postquam virgo esse desierit.

Verum ab iis quoque quæremus, quod jam superius quæsivimus ab aliis, qui *Alma* notare volunt puellam, sive integram, sive corruptam, sive virum expertam, sive intactam, sive nuptam, sive innuptam. Ecquod erit signum illud, quod promittit Deus, si virgo delibata verginitate concipiat, & pariat, more communi fœminarum?

Erit fortaſſe, qui dicat, conceptum hunc, & partum ſignum quidem fuiſſe, at non prodigium.

Quaſi vero dictio אות *both*, qua utitur Sacer Vates, non prodigium quoque notet, atque eo ſenſu Sacris in litteris ſæpe adhibita reperiatur; quaſi Jeremias rem eamdem prædicens חדשה *Kadaſa*, *novum* non appellaverit, quod Iſaias אות *both*, ſignum dixerat. Conceptum igitur virginis prædicit eo loci divinus Vates uti ſignum ingens, hoc eſt, veluti rem novam, inuſitatam, prodigialem, naturæ vires ſuperantem: *pete tibi ſignum a Domino Deo tuo*, inquit ille, *profunda petitionem*, *vel eleva teipſum in excelſum:* quid vero novi ac prodigii haberet, ſi adoleſcentula more matrum omnium poſt amiſſam virginitatem filium eſſet editura? Favet etiam nativus Scripturæ ſenſus, ſi paulo diligentius perpendatur. Cum enim impius Achaz fieri non poſſe cenſeret, ut Dei ſubſidio a potentiſſimis duobus illis Regibus liberaretur, ſignumque in promiſſæ liberationis confirmationem oblatum reſpueret; ſignificare voluit Deus, in ipſius poteſtate eſſe, ut majora portenta edat, & ab hoſtibus longe potentioribus homines liberaret. Quare facturum ſe, inquit, ut etiam virgo prægnans gigneret, Emmanuelemque ederet, totumque humanum genus a diabolica ſervitute, ac peccati tyrannide, cujus levem typum duo illi Reges civitatem Jeruſalem obſidentes præferebant, ſine mora liberaretur. Non igitur merum ſignum fuit, ſed ſane, & prodigium.

Tertium denique adverſariorum momentum: ea nimirum Iſaiæ prophetia prænuntiari natale Ezechiæ filii Regis Achazi, aut ſane natale filii ipſiuſmet Iſaiæ Prophetæ, futilitatis plenum eſt. Quomodo enim quæſo Ezechiæ nativitatem portendiſſet tunc temporis Sacer Vates, uti illorum aliqui, præcipue vero RR. David Kimchi, Aben-Ezra, & Lipman contendunt; cum is diu ante ortus eſſet, multoſque jam annos numeraret? Ita profecto rem eſſe, ex divinis Scripturis perſpectum eſt. Achaz enim pater Ezechiæ, quo regnante prophetia iſta pronuntiata eſt, *ſexdecim annis regnavit in Jeruſalem*, ut habetur lib. 4. Regum cap. 16. v. 2. Et 2. Paralipomenon cap. 28. v. 1. cui ſucceſſit Ezechias, ſicut dicitur lib. 4. Regum cap. 16. v. 20. *Erat autem Ezechias filius viginti quinque annorum cum regnare cœpit*, uti lib. 4. Regum cap. 18. v. 2. & lib. 2. Paralipomenon cap. 29. v. 1. legere eſt: annos

igitur

igitur facile novem numerabat Ezechias, dum Achaz regnum obtinuit; atque adeo multo plures numerabat annos, dum Achazo regnum obtinente prophetia ista, ab Isaia fusa est.

Longe etiam a veritate aberrant, qui ipsius filii Isaiæ natale eo Vaticinio prænuntiari opinantur. Illius etenim pueri nativitas prædicitur, quo discretionis annos nondum assecuto, Samaria devastanda erat: *antequam sciat puer reprobare malum, & eligere bonum, derelinquetur terra, quam tu detestaris a facie duorum Regum suorum*, v. 16. ejusdem capitis septimi. Seu, ut sequenti capite dicitur v. 4. *antequam sciat puer vocare patrem suum, & matrem suam auferetur fortitudo Damasci, & spolia Samariæ coram Rege Assyriorum:* at regnum Samariæ devastatum est anno sexto regni Ezechiæ, ut habetur lib. 4. Regum cap. 18. v. 10. eoque tempore annos ad minimum sexdecim Isaiæ filius numerabat; quippe qui jam anno tertio, vel quarto regni Achaz ortus erat, proindeque diu ante bonum a malo secernere noverat: aut sane diu ante patrem, ac matrem ex nomine vocabat. Rursus, filio Isaiæ convenire non possunt ista, quæ cap. 8. v. 8. leguntur: *& erit extensio alarum ejus, plenitudo latitudinis terræ tuæ Emmanuel:* quippe qui persona privata fuit, & terram nullam unquam habuit suo dominio subjectam. Nec etiam ista v. 3. ejusdem capitis: *voca nomen ejus, festinando spolium, acceleravit prædam;* vel ut legitur in Vulgata nostra: *voca nomen ejus, accelera, spolia detrahere, festina prædari:* cum nec sic vocatus fuerit Isaiæ filius, neque de ejus nomine, neque de vita, neque de gestis, neque de morte ipsius divinis in Scripturis mentio aliqua fiat. Quare non illi, sed Messiæ apposite congruunt: qui velox ad spoliandum infernum futurus erat, & festinus ad prædandum, hoc est, ad auferendam a diabolo prædam, quam propter peccatum primi hominis possidebat. Quod in se jam complendum Jesus noster testatus est, cum Lucæ cap. 11. v. 21. & 22. dixit: *cum fortis armatus custodit atrium suum, in pace sunt ea, quæ possidet. Si autem fortior eo superveniens vicerit eum, universa arma ejus auferet in quibus confidebat, & spolia ejus distribuet.* Hinc Paulus ad Colossenses cap. 2. v. 15. de Christo ait: *expolians principatus, & potestates, traduxit confidenter, palam triumphans illos in semetipso.* Demum, illius pueri nativitas portenditur laudato Isaiæ Vaticinio, cap. 7. v. 14. cujus matrem si vel maxime dederimus Ju-

 dæis

dæis appellari nomine quod non absolute notet virginem, at saltem puella viro nondum matura erat: ita sane volunt RR. David Kimchi, & Selomoh Jarchi: at Isaiæ uxor puella tunc certe non erat, sed vetula potius: non igitur illius filii nativitas describitur eo loci.

At erit forte, qui nobis objiciat: illius pueri ortus prædicitur laudato Isaiæ Oraculo, quo necdum annos rationi proximos obtinente, regna Damasci, & Samariæ devastanda erant: at non modo ante annos rationi proximos a Jesu Nazareno habitos, sed & diu antequam nasceretur in terris, utrumque regnum fuerat eversum; non igitur Vaticinium illud refertur ad Jesum Nazarenum.

Verum non animadvertunt cæci homines, externo mortiferæ litteræ sensui dumtaxat hærentes, Sacrum Vatem pro more suo a symbolo seu figura ad rem ipsam figuratam transire, a temporali liberatione Achazi ab obsidione duorum illorum Regum ad liberationem humani generis a diaboli tyrannide, ac peccati servitute, cujus hæc nonnisi typus erat. Nihil itaque sibi vult aliud divinus Vates iis verbis, *antequam sciat puer reprobare malum, & eligere bonum: antequam sciat vocare patrem suum, & matrem suam, auferetur fortitudo Damasci, & spolia Samariæ;* quam genus humanum præcocibus venturi Messiæ virtutibus, ac laboribus a diaboli tyrannide, ac laqueis peccati liberatum iri. Quapropter & ea parte figuratus sermo est. Quamplurima Vatum exempla dare, facile fuerit, ubi eodem plane contextu a typis, seu figuris ad Messiam transvolant, nisi otiosi hominis esset, in re perspicua ostendenda diu immorari. Vide quæ diximus cap. 8. expendendo verba illa ejusdem Prophetæ, *voca nomen ejus, accelera spolia detrahere, festina prædari.*

Si cui forte responsum istud videtur obscurum, istud alterum sibi habeat. Nos Jesum nostrum Deum & hominem fuisse credimus. Licet porro qua Deus ab æterno fuerit, non tamen qua homo; enim vero in tempore humanam naturam assumpsit: quia igitur antequam ipse eam assumpsisset regna Damasci, & Samariæ devastata fuerant, verum est, quod antequam sciat puer vocare patrem suum, & matrem suam, auferetur fortitudo Damasci, & spolia Samariæ. Et non solum antequam sciret vocare, immo antequam esset ille puer, idest, in natura humana assum-

pta,

pta, & vocaret patrem, & matrem. Momentum itaque iſtud ſententiæ noſtræ non officit, immo ſavet.

Neque laudata verba, *antequam ſciat puer reprobare malum, & eligere bonum: antequam ſciat vocare patrem ſuum, & matrem ſuam*, ignorantiam in puero illo denotant, quæ accedente rationis uſu paulatim ſugetur, ſicut in vulgo puerorum: ſed ſignificant ea eventura ſore, quæ a divino Vate ibi prædicuntur, antequam eam attigerit ætatem, qua pueri boni eligendi, & mali reprobandi ſunt capaces; antequam & ipſe exterius indicia præbeat ſe bonum inter, & malum diſcernere. Quamvis enim Jeſus noſter omnium ſcientiam perfectiſſimam rerum, non ſolum qua Deus, ſed qua homo, ſtatim atque conceptus eſt, habuerit; ab infantili tamen, & puerili corporis habitu eam non demonſtrabat, ſed paulatim prout creſcebat ætate, ne verus homo non videretur, ſed portenti inſtar ac monſtri haberetur.

Verbis etiam illis, *butyrum, & mel comedet, ut ſciat reprobare malum, & eligere bonum*, nihil aliud innui dicimus, niſi puerum illum, etſi admirabili, & ſupernaturali modo conceptom, conſueto tamen more educandum, cibiſque communibus nutriendum, quales erant inter Judæos butyrum, & mel, quæ ſolebant infantibus exhiberi: tum quia cibi dulces & pingues illi ætati maxime grati eſſe ſolent: tum quia abundabat Judæa & pecore, & ſavis mellis. Unde & terra Canaan frequenter dicitur in Sacris litteris, fluere lacte, & melle.

Unum eſt quod hic opponere poſſunt: dicent præteritum eſſe de quo loquatur Propheta, non futurum הנה העלמה הרה וילדת בן *ecce virgo concepit*, inquit, cap. 7. v. 14. *& pariet filium*. Non igitur Oraculum hoc ad ortum Jeſu Nazareni refertur, quem Chriſtiani annis circiter ſexcentis poſt illius pronuntiationem contigiſſe exiſtimant.

Quibus ego reſpondeo; quin potius voces, quæ hoc loco poſitæ ſunt, tantum abeſt ut præteritum notent, ut ſint vel nomina, vel participia tempus præſens indicantia. Quod viris in Hebræa lingua doctiſſimis jam obſervatum eſt. Quapropter 70. Interpretes ſuturi temporis voce tranſtulerunt; nam præſens propheticum nihil eſt plane aliud quam ſuturum, ut pulchre dicitur in Midraſch Theillim, ideſt, in expoſitione Pſalmorum, ſuper illud Pſalmi 107. dictum יאמרו גאולי יהוה אשר גאלם מיד צר *dicent redempti*

dempti Dei, quos redemit de manu tribulantis. Ibi enim hæc inter cætera leguntur: dixit R. Judas filius Salon, pulchre dictum est, redemit, quamvis futurum esset: quoniam dictum Dei Sancti & benedicti tanquam factum est . . . . . Unde de Abraham quid scriptum est in libro Genesis quinto decimo capite? ביום ההוא כרת יהוה את אברם ברית לאמר לזרעך נתתי את הארץ הזאת *in die illa pepigit Deus cum Abraham fœdus, dicens: semini tuo dedi terram hanc. Non dixit dabo, sed dedi. Et quomodo, cum nondum Abraham filios genuisset? quia dictum Dei, factum est, ideo sic dixit. Hinc etiam docemur, quod dictum Dei factum est, cum dicitur, ego Dominus locutus sum, & feci. Et quando fecit? nisi quia dictum Dei, factum reputatur. Bene ergo dictum est, redemit, quamvis futurum esset.* Hæc traditio. Isaiæ quoque cap. 53. ubi Sacer Vates de Messia loquitur, ut abunde demonstravimus capite octavo, præteritum pro futuro usurpatur . . . . . ונראהו ולא מראה ונחמדהו אכן חליינו הוא נשא ומכאבינו סבלם . . . . . והוא מחולל מפשעינו מרכא מעונתינו *vidimus eum*, inquit v. 2. & sequent., *& non erat aspectus ut desideraremus eum . . . . . Vere languores nostros ipse tulit, & dolores nostros portavit . . . . . Et ipse vulneratus est propter prævaricationes nostras; attritus est propter iniquitates nostras.* Manifestum est autem, quod quando Isaias verba ista de Messia protulit, nondum Messias venerat, & tamen verba sunt de præterito: igitur necesse est ut reducatur intellectus eorum ad futurum.

Quid plura? Nisi velimus admittere contradictionem fateri cogimur tempora divinis in litteris mutari. Pespicuum est hoc ex eo, quod legitur eodem capite 53. Isaiæ, v. 7. ibi namque dicitur: נגש והוא נענה ולא יפתח פיו כשה לטבח יובל וכרחל לפני גזיה נאלמה ולא יפתח פיו *oppressus est, & ipse afflictus est, & non aperiet os suum: sicut agnus ad occisionem ducetur, & sicut ovis coram tondentibus eam obmutuit, & non aperiet os suum.* Ecce enim ponuntur verba de præterito, & futuro, & tamen impossibile est, ut horum significatio, non referatur ad idem tempus, præcipue cum necessario ex textu notum sit illa pertinere ad idem tempus, cum dicatur: *sicut ovis coram tondentibus eam obmutuit, & non aperiet, os suum:* non aperire os suum, & obmutescere ad idem tempus pertinet, cum omnino idem sint, & tamen unum ponitur in futuro, & aliud in præterito: ergo necessario ambo debent referri,

&

& exponi per idem tempus, ſcilicet per futurum, de quo tota illa prophetia intelligitur. Sicut igitur ibi ponitur præteritum, & futurum, & ambo reducuntur ad futurum; ita ponuntur hic in Hebræo duo tempora eadem cum dicitur: *ecce virgo concepit*, *&* *pariet filium;* ergo eodem modo reduci poterunt, & debent ambo ad unum tempus, ſcilicet ad futurum, ut ſenſus ſit: *ecce virgo concipiet*, *&* *pariet filium*. (*)

Non omittam hic & alterum Iſaiæ Oraculum, de quo mihi arbitror paucis dicendum, propterea quod veteres eo paſſim in hanc rem utebantur. In quorum ſententiam loquor: ויאמר יהוה אלי קח לך גליון גדול וכתב עליו בחרט אנוש למהר שלל חש בז : ואעידה לי עדים נאמנים את אוריה הכהן ואת זכריהו בן יברכיהו : ואקרב אל הנביאה ותהר ותלד בן *& dixit Dominus ad me: ſume tibi librum grandem, & ſcribe in eo ſtilo hominis: ad feſtinandum ſpolium, acceleravit prædam. Et adhibui mihi teſtes fideles, Uriam Sacerdotem, & Zachariam filium Barachiæ. Et acceſſi ad Prophetiſſam, & concepit, & peperit filium*, cap. 8. v. 1. & ſequent. Hæc autem verba commatis tertii, ajunt, *& acceſſi ad Prophetiſſam, & concepit, & peperit filium*, ob cauſam ſuperius allatam, eodem modo explicanda ſunt, quo verba commatis decimi quarti, capitis ſeptimi; ut ſenſus ſit, *& accedam ad Prophetiſſam, & concipiet, & pariet filium*. Prophetiſſæ porro nomine. Maria virgo ſignificatur, quæ Spiritu Sancto impleta divinum illud Canticum, *Magnificat anima mea Dominum*, protulit, aitque, *ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes: quia fecit mihi magna qui potens eſt*. Ad eam ſpiritu acceſſit Iſaias; ejus conceptus ac partus myſterium animo prævisum ac præcognitum, in libro juſſu Dei deſcripſit: ejuſque filium Chriſtum Jeſum in ipſa infantia prædam Damaſci, & Samariæ Regi Aſſyriorum, hoc eſt, Gentes typicis nominibus ſignificatas, dæmoni, typico etiam nomine deſignato,

(*) NOTA. *Cum hoc meum opus dediſſem legendum Viro cuidam Doctiſſimo, & Eruditiſſimo, quo judicium ejus exquirerem: ille non ſolum non improbavit, ſed etiam valde ſuaſit ut ederem. Ceterum in eo ſermone, multa is collocutus eſt mecum de hoc Iſaiæ loco, deque ratione qua ſibi optima videretur vindicandi eum ab Judæorum objectionibus. Rogavi, ut quæ dixerat, ne gravaretur chartæ committere. Et quidem fecit benigne. Excreſcente autem in longum hujus Clariſſimi Viri ſcriptione, ſic ut locum in contextu habere non ſatis commode poſſet, exiſtimavi me non ingratam rem Lectori facturum, ſi diſſertationem integram in calce totius operis adderem ſeparatim. Eam igitur ibi reperies.*

gnato, erepturum vaticinatur. Ad eam tandem tempore ab æterno prædestinato accessit ille idem spiritus, qui loquebatur per divinum Vatem, non locum mutando, non per visionem, non per imaginationem, sicut accesserat Isaias, sed vere, & proprie, virtutem sine viro concipiendi, ei conferendo: eoque tempore virgo ipsa concepit, & peperit filium, Dei Verbum carne humana indutum, ac mundi Salvatorem. Hic porro Spiritus Sancti accessus tunc ad eam factus est, cum, ut ait Lucas cap. 1. v. 26. & sequent. in mense sexto, a conceptione, scilicet Joannis Baptistæ, *Missus est Angelus Gabriel a Deo in civitatem Galilææ, cui nomen Nazareth, ad virginem desponsatam viro, cui nomen erat Joseph, de domo David, & nomen virginis Maria. Et ingressus Angelus ad eam dixit: ave gratia plena, Dominus tecum, benedicta tu in mulieribus. Quæ cum audisset, turbata est in sermone ejus, & cogitabat qualis esset ista salutatio. Et ait Angelus ei: ne timeas Maria, invenisti enim gratiam apud Deum: ecce concipies in utero, & paries filium, & vocabis nomen ejus Jesum: hic erit magnus, & filius Altissimi vocabitur, & dabit illi Dominus Deus sedem David patris ejus, & regnabit in domo Jacob in æternum, & regni ejus non erit finis. Dixit autem Maria ad Angelum: quomodo fiet istud quoniam virum non cognosco? Et respondens Angelus dixit ei: Spiritus Sanctus superveniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi: ideoque & quod nascetur ex te sanctum, vocabitur filius Dei. Et ecce Elisabeth cognata tua, & ipsa concepit filium in senectute sua: & hic mensis sextus est illi, quæ vocatur sterilis: quia non erit impossibile apud Deum omne verbum. Dixit autem Maria: ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum.* Quo dicto mox concepit filium Dei.

His robur addit, quod legimus apud virum summæ auctoritatis, quem Judæi *Rabbenu hakados*, idest, magistrum nostrum sanctum vocant. Is namque, ut refert noster Galatinus lib. 7. cap. 17. in tertia ejus libri petitione, qui *gale razeja*, hoc est, revelator arcanorum inscribitur, ab Antonino Urbis Romæ Consule interrogatus, quæ sit Prophetissa illa de qua Isaias meminit, cum dixit octavo capite: *& accessi ad Prophetissam, & concepit, & peperit filium*, ita respondit: *sæpenumero in hac quæstione suspensus fui, & anxius: & quadam die ingressus patrum speluncam, ubi sepulti sunt Adam, & Heva, Abraham & Sara, Isaac &*

& Rebecca, Jacob & Lia, ut illic orarem, inveni Eliam, quem percontatus sum. Quare notum tibi facio, quod ab ipso accepi, quod hæc Prophetissa est mater Regis Messiæ, quem Deus sanctus & benedictus se missurum ad Israel pollicitus est. Dicta est autem Prophetissa, quia suo Vaticinio scit omnia, a primordio ad finem usque: quod nemo unquam Prophetarum cognoscere potuit. Ipsa est enim omnium Prophetarum domina & magistra. Et hæc est Alma illa, de qua dixit Salomon Proverbiorum 30. cap. *& via viri in Alma*, ideſt, *via Dei in virginem. De qua & Isaias* ait 7. cap. *ecce Haalma concipiet, & pariet filium. De ea quoque apud Michæam* 5. capit. *sic dicitur: & tu Bethleem Ephrata parvula es.* Et poſt pauca: *propter hoc dabit eos usque ad tempus, quo parturiens pariet. Præterea, de Rege Messia etiam quem paritura erat Prophetissa ista, dixit Isaias* 9. cap. *infans natus est nobis, filius datus est nobis: & erit principatus super humerum ejus, & vocabitur nomen ejus, Admirabilis, Consiliarius, Deus, Fortis, Pater sempiternus, Princeps, Pax.* Hæc ille.

Nec eſt mirandum, quod Judæi recentiores hæc tam evidentia, utpote a ſuis patribus tradita, nequaquam intelligant, cum hoc ſatis idem Iſaias eodem in capite octavo, v. 17. oſtenderit, ſic dicens וחכיתי ליהוה המסתיר פניו מבית יעקב וקויתי לו *expectabo Dominum, qui abscondit faciem suam a domo Jacob, & præstolabor eum.*

Nec mihi placeat nonnullorum interpretatio, qui uxorem Iſaiæ *librum grandem* appellari volunt: *stilum hominis*, eam partem quæ honeſte nominari non poteſt: ſcriptionem horum nominum: *accelera spolia detrahere, festina prædari;* congreſſum cum uxore quo procreetur filius ita vocandus.

Illud enim vero Vaticinium de filio Iſaiæ intelligi vetat Chronologia Sacra, ut ſuperius obſervavimus: atque etiam vel cogitatu fœdum eſt, quod Propheta coram teſtibus ad uxorem acceſſerit filium procreaturus. Nec vero Iſaiæ filio minus videntur convenire quam Meſſiæ, res iſtis nominibus ſignificatæ, ut paulo ante diximus. Nec ſimiliter ipſi convenire poſſunt hæc verba v. 8. *& erit extensio alarum ejus, plenitudo latitudinis terræ tuæ Emmanuel.* Tandem filio Iſaiæ convenire non poſſunt hæc v. 14. *& erit in Sanctuarium, & in lapidem percussionis, & in petram offensionis duabus domibus Israel, in laqueum, & in rete habitantibus*

Jerusalem. Quæ de Christo, qui Judæis fuit lapis offensionis, & petra scandali, explicant Matthæus cap. 21. v. 42. & 44. Paulus ad Romanos cap. 9. v. 32. & 33 & Petrus Epist. 1. cap. 2. v. 4. & sequentibus. Christum quoque spectare versum illum 18. *ecce ego, & pueri mei, quos dedit mihi Dominus in signum*, &c. volunt nonnulli Sacri Interpretes: quasi diceret divinus Vates: sicut ego, & pueri mei, atque discipuli, quos Dominus mihi adjunxit, habemur jam pro signis & portentis, eo quod non sequamur corruptos populi mores, & admirandos, inauditosque eventus prophetemus, ac ea prædicemus, quæ ingrata sunt auribus hominum carnalium: Sic Christus, & Apostoli ejus, atque Discipuli, videbuntur esse portenta, & monstra Judæis, ob novitatem doctrinæ, ac vitæ admirabilis sanctitatem. Et certe verba illa ad Christum referre necesse est, si Paulum Apostolum sequamur, ad Hebræos cap. 2. v. 13.

Si alicui forte responsum istud non arrideat, istud alterum sibi habeat; quod etsi de filio Isaiæ verba illa capitis octavi intelligenda essent, & accessus ille ad Prophetissam significaret Sacrum Vatem cognovisse uxorem suam, ex ea suscepisse filium, illi imposuisse memorata nomina, non sequeretur Oraculum cap. 7. ad Messiam non esse referendum: quia dici posset de alio conceptu, & partu hic sermonem esse, de alio cap. 7. Primum vocari *Emmanuel*, hoc est, *nobiscum Deus;* istum, *accelera spolia*, vel *spolium detrabere, festina prædari*. Illum esse filium virginis, istum Prophetissæ. Illum constitui symbolum conservationis domus Davidicæ, istum vero signum destructionis Regnorum Syriæ, & Samariæ. Deum itaque novum istud signum populo incredulo & pervicaci dedisse: regna illa destruenda fore, & hostes Israelis profligandos, antequam puer quem Prophetissa, idest, Isaiæ uxor mox pepererat, adultam attigisset ætatem. Sed priori responsioni potius standum, propter rationes superius allatas.

Quæret fortasse nonnemo, quinam fuerint Urias, & Zacharias, quos testes scriptionis sibi elegit Sacer Vates?

Profecto res incerta. Aliqui opinantur hunc Zachariam esse Sacerdotem illum, qui cum aliis sub Ezechia domum Dei ab Achazo pollutam expiavit, lib. 2. Paralipomenon cap. 29. v. 13. Uriam vero Sacerdotem summum, virumque eo tempore fidelem, qui per summam animi levitatem post aliquod tempus ab

hinc

hinc Jerosolymis æneum altare conflari passus est, juxta Damascenum illud exemplar, quod sibi ab Achazo missum fuerat, ac illud in Templo statui, ubi antea fuerat Arca holocaustorum, lib. 4. Regum cap. 16. v. 10. 11. & 15. Verum quomodo Deus talem, tamque levem, timidum, & inconstantem vocasset, & adhibuisset ad res tantas, ut testem fidelem, qui tam infidus fuit Deo, tamque facile a fide Dei ad idola deflexit?

Alii forte verisimilius censent hunc Uriam esse Prophetam illum, cujus meminit Jeremias cap. 26. v. 20. qui contra Jerusalem prophetavit; quique a Joachim Rege occisus est. Iidem autumant Zachariam filium Barachiæ, alterum Isaiæ testem, esse Zachariam, qui inter minores Prophetas undecimus est. Cum enim hi testes per visionem sint exhibiti Isaiæ, non mirum si necdum nati, sed nasci turi citentur. Deo enim præsentia sunt quæcumque futura sunt; idque fecit Deus primo, ut Isaias hoc Oraculo prophetiam futuram Uriæ, & Zachariæ, & hi vicissim suis Vaticiniis Isaiæ prophetiam jam præteritam confirmarent. Secundo, quia hæc prophetia Isaiæ duo præcipue complectitur, nimirum calamitates imminentes Judæis, quas copiose Urias prædixit, quæque postmodum in captivitate Babylonica eis obvenerunt; & futuram liberationem, per adventum, & ortum Messiæ, quem hilare vaticinatus est Zacharias cap. 2. v. 10. *exulta, & lætare filia Sion, quia ecce ego veniam, & habitabo in medio tui, ait Dominus*. Et cap. 9. v. 9. *exulta valde filia Sion, jubila filia Jerusalem: ecce Rex tuus veniet tibi justus*.

Reponent forte postremo Judæi; Isaias loquitur de puero qui vocabitur Emmanuel: filius autem Mariæ, non vocatus est ab ea Emmanuel, sed Jesus; quia sic prædictum fuerat ab Angelo antequam nasceretur, ut habetur Lucæ cap. 1. v. 31. *ecce concipies in utero, & paries filium, & vocabis nomen ejus Jesum*; ac proinde de illo prophetia illa non est intelligenda.

Sed in eo quoque deluduntur. Merito quippe Mater Salvatoris nostri vocavit eum Jesum, non vero Emmanuelem; quia hoc nomen ei secundum naturam conveniebat, nec necesse erat, ut quispiam tale imponeret nomen. Ut autem magis obstruatur os loquentium iniqua, animadvertendum est, alia esse impositionis nomina, & voluntatis nostræ, quæ nisi imposuerimus non erunt; alia naturæ, quæ rei conveniunt, etiamsi nullus ea impo-

fuerit. Impositionis nomina sunt E. G. Plato, Cicero, Petrus, David, Moses, & similia: nihil quippe ista designant, quod secundum naturam conveniat rei, cujus sunt nomina, sed sola voluntas nostra causa impositionis horum nominum est. Nomina vero naturæ, quæ rei conveniunt, etiamsi nullus imposuerit illa, sunt nomina speciei, vel generis, quibus notantur principia essentialia ipsius rei. Constat enim naturam ipsam, quæ dat rei formam nomen quoque eidem rei dare; sicut dat homini & humanitatem, & nomen, quod est homo. Non enim homo nuncupatur aliquis, nisi propter hominis naturam, cujus est particeps. Nomen itaque *Jesus*, quod Salvator, vel salus, sive salvatio interpretatur; quodque reipsa idem est, non sono vocis, sed sensu ac *Emmanuel*, nomen impositionis est, quoniam potuisset eum vocare Mater sua alio nomine, nisi Angelus prædixisset, atque præcipisset vocari nomen ejus Jesum: Emmanuel vero, quod significat nobiscum Deus, hoc est, Deus & homo, nomen est naturæ; ideoque Christo est proprium: nulli enim alteri competit. Non igitur necesse erat ut aliquis eum Emmanuelem vocaret, sicut non est necesse, ut cum nos nascimur, aliquis nos homines vocet. Quando igitur Propheta dixit, *& vocabitur nomen ejus Emmanuel*, ostendere voluit non quomodo Christus nominandus esset, sed qualis esset futurus, nimirum Emmanuel verus, & quoad personam, & quoad officium, & quoad ejusdem executionem in familiari conversatione cum hominibus. Evangelista vero utrumque conjungere voluit, & quomodo vocandus esset Christus Dominus, quo spectant illa Angeli verba, *& vocabis nomen ejus Jesum:* & quis futurus esset, quo spectat Oraculum Isaiæ, *ecce virgo concipiet, & pariet filium, & vocabitur nomen ejus Emmanuel*. Ex iis ergo perspicuum est, eo loci Isaiæ, verbum illud *vocabitur*, non petere necessario, ut Jesus noster nomine Emmanuel inter homines fuerit appellandus, sed sufficere, illum explesse omnem nominis virtutem, ac vere fuisse Deum nobiscum. Vocari namque divinis in litteris sæpe significat esse talem, qualem nomen significat, ut jure eo vocari possit. Exempli gratia. Isaias inferius cap. 9. v. 9. ait, futurum ut Messias idem vocetur *Admirabilis, Consiliarius, Deus, Fortis, Pater æternitatis, Princeps pacis:* & Jeremias cap. 32. v. 6. *ut vocetur Dominus justus noster:* non quod hæc fuerint nomen proprium ipsius,

ipſius, ſed quod talis fuerit, ut merito hiſce nominibus & titulis inſigniri poſſit. Sic Iſaias cap. 1. v. 26. prædixit de Jeruſalem in hunc modum: *poſt hæc vocaberis civitas juſtitiæ*, *urbs fidelis*: non quod eo nomine vocanda eſſet; ſed quod reipſa talis futura eſſet, ut eo nomine merito nuncupari poſſet. Sic Jeremias cap. 3. v. 17. inquit, civitatem eandem appellandam eſſe, hoc eſt, fore *ſolium Domini*.



DIS-



DISSERTATIO UNDECIMA.



Dducuntur pleraque alia loca Veteris Teſtamenti, de nonnullis aliis notis, officiis, dotibus, characteribus, & ſignis veri Meſſiæ a Sacris Vatibus in illo prædictis; ubi etiam oſtenditur illa omnia fuiſſe in Jeſu Nazareno plane adimpleta.

Hactenus de præcipuis prænuntiati Meſſiæ notis, dotibus, characteribus diximus; ut Judæorum errores, falſaque eorum præjudicia refelleremus, quibus longe alium oriturum ſibi Meſſiam animo fingunt, quam quem Sacra Scripturarum Oracula promiſerunt. Poſtulat in præſentia ſuſcepti operis ratio, ut de nonnullis aliis ipſius notis, ſignis, officiis, & dotibus commentationem aggrediamur, ut Judaicam perfidiam, undecumque id fieri poterit, impetamus. Illas porro veri Meſſiæ dotes divinis in litteris præſignatas uni Jeſu Nazareno congruere multis oſtendimus; nunc alias uni eidem convenire, demonſtrabimus. Age nunc rem agamus, & ad probationes accedamus.

Meſſias naſciturus erat Bethleemi. Michææ cap. 5. v. 2. ואתא ביתלחם אפרתה צעיר להיות באלפי יהודה ממך לי יצא להיות משל בישראל ומוצאתיו מקדם מימי עולם & *tu Bethleem Ephrata, parvulus es ut ſis in millibus Juda: ex te mihi egredietur, qui ſit dominator in Iſrael; & egreſſus ejus ab æterno, a diebus ſæculi.* Quo loco Bethleem Ephrata Tribus Judæ viculum ab urbe Jeroſolyma ſexto milliario diſtantem uti natale Meſſiæ prænuntiari, vetus Judæorum opinio fuit. Unde & Herodi ſciſcitanti ubi Chriſtus naſciturus eſſet, continuo reſponderunt Scribæ, legiſque doctores:

ctores: *in Bethleem Judæ: sic enim scriptum est per Prophetam: & tu Bethleem terra Juda, nequaquam minima es in Principibus Juda: ex te enim exiet Dux, qui regat populum meum Israel*, ut apud Matthæum legere est cap. 2. v. 5. & 6. Et alii apud Joannem cap. 7. v. 42. *nonne Scriptura dicit, quia ex semine David, & de Bethleem castello, ubi erat David, venit Christus?* Ex quibus clarissime intelligitur tralatitiam hanc, & pervulgatam fuisse Hebræorum sententiam, ex hoc Michææ loco deductam, Bethleemo Messiam proditurum. Hanc majorum suorum doctrinam tenuerunt sequutioris ævi Magistri. Sic Paraphrastes Chaldæus Jonathan; sic Talmud in libro Sanhedrin, ultimo capite, & in libro de Paschate, capite decimo; sic Midrasch Theillim, & R. Selomoh, & R. David Kimchi. Vide quæ diximus cap. 9. expendendo hoc Michææ Oraculum. Multa enim illic attulimus ad præsens institutum opportuna.

Verum opponet fortasse quispiam, Jesum nostrum Nazarethi natum esse; hinc Nathanaelem Philippo nuntianti, Jesum Nazarenum eum esse quem Moses, & Prophetæ prædixerant, respondisse: *a Nazareth potest aliquid boni esse?* Joannis cap. 1. v. 46. Jesum quoque ipsum, cum Paulum de cœlo vocavit, seipsum Nazarenum, non Bethleemitam dixisse: *ego sum Jesus Nazarenus quem tu persequeris*, Actuum cap. 22. v. 8. Passim, Jesum Nazarenum a Judæis, ab Evangelistis, ab Apostolis appellari: adeoque Michææ Oraculum de Dominatore Israelis Bethleemi nasciturо, ad Jesum nostrum non pertinere.

At bene est, quod qui Nazarenum vel nuncupant ipsi, vel nuncupatum dicunt Scriptores Sacri testes idonei, Bethleemi editum esse iidem narrant; unde perspectum est, de Nazarethi nomine ipsi fecisse vocabulum, ad denotandum locum, non in quo editus erat, sed quem ejus parentes incolebant, & in quo ipse primum fuerat educatus. Sic Virgilius lib. 1. Æneid. Trojanum Cæsarem dixit, quod Troja majores ipsius venissent. Sic Svetonius lib. de Illustribus Grammaticis, cap. 16. Quintum Cæcilium Epirotam, Tusculi natum, cognomen accepisse notat, non a loco ortus, sed a loco originis. Eusthatius etiam in Homeri Odysseam, patriam eam esse ait, non in qua quis natus est, sed in qua educatus: *patria enim*, inquit, *urbs est quædam, in qua quis post ortum educatus est. Adeo ut qui talis non sit, sed*

post

post ortum patria sit privatus, is urbe hujusmodi exciderit, neque tam eam habeat patriam, ac illam, quæ ipsum deinceps aluit. Cum igitur parentes Jesu nostri Nazareni essent, & Nazarethi degerent, fixamque ibi habitationem haberent, non mirum quod hinc nomen traxerit Christus Jesus, quamvis in parentum transitu Bethleemi sit editus.

Quæret fortasse aliquis, cur celebre Michææ Oraculum de Messia Bethleemi nascituro longe secus Matthæus recitet cap. 2. quam in ipso Prophetæ contextu habeatur? Sic enim est apud Matthæum: *& tu Bethleem terra Juda, nequaquam minima es in Principibus Juda, ex te enim exiet Dux, qui regat populum meum Israel*. Sic vero apud Michæam: *& tu Bethleem Ephrata, parvulus es ut sis in millibus Juda: ex te mihi egredietur, qui sit dominator in Israel*. Nempe illic nequaquam minima dicitur Bethleem, quæ istic parvulus nuncupatur. Illic Bethleem terra Juda vocatur, istic Bethleem Ephrata.

Respondeo, Matthæum relicta figura verborum, neglectoque cortice, sensum Michææ intimum verbis suis expressisse, non vero Oraculum ipsius iisdem verbis retulisse. Quod Sacris Novi Testamenti Scriptoribus solemne est, ut alibi observavimus, nec ab optimo interpretandi genere alienum. Quamvis ergo inter Matthæum, & Michæam dissensus in verbis quibusdam esse videatur, idem tamen est utriusque sensus, eademque dictorum substantia. Nam Bethleem Juda Matthæus dixit, hoc est, sitam in sorte Tribus Juda, ut ab altera distingueret, quæ erat in Galilæa de Tribu Zabulon, de qua Josue cap. 19. v. 15. Bethleem vero Ephrata Michæas nuncupavit a nomine conditoris ipsius, ut colligitur ex I. Paralipomenon cap. 4. v. 4. Geneseos cap. 35. v. 19. Et cap. 48. v. 7.

Licet porro enuntiatio Prophetæ explicite affirmativa, Evangelistæ negativa; implicite tamen, & æquivalenter enuntiatio Michææ negativa est non minus quam Matthæi, & idem utriusque sensus, si adversativa particula in posteriore parte Oraculi Prophetici intelligatur, hoc modo: *& tu Bethleem Ephrata, parvulus es ut sis in millibus Juda:* in oculis scilicet ac opinione hominum, quibus urbes ex magnitudine, ambitu, munitionibus, populi frequentia, opibus, ornatu, splendore, deliciis celebres sunt: *ex te* (tamen) *mihi egredietur, qui sit dominator in Israel:*

rael: ideſt, minime tamen parvulus vicus es, minime deſpiciendus, aut primariis, & populoſiſſimis civitatibus Tribus Juda poſtponendus, quia Meſſiæ ortu nobilitandus, & illuſtrandus es. Non deſunt autem Sacris in litteris exempla adverſativæ particulæ ſimiliter prætermiſſæ, & tamen intellectæ, ut Pſalmo centeſimo decimo octavo, v. 141. צעיר אנכי ונבזה פקודיך לא שכחתי *parvulus ego, & deſpectus: præceptorum tuorum non ſum oblitus:* ideſt, licet parvulus ſim, & ab hoſtibus deſpectus, præceptorum tamen tuorum non obliviſcar. Et v. 157. רבים רדפי וצרי מעדותיך לא נטיתי *multi perſequentes me, & hoſtes mei: a teſtimoniis tuis non declinavi:* hoc eſt, licet multi ſint qui perſequuntur me, & hoſtes mei, attamen a teſtimoniis tuis non declinabo. Et Joannis cap. 9. v. 30. *in hoc enim mirabile eſt, quia vos neſcitis unde ſit, & aperuit oculos meos:* quod his verbis æquivalet: & tamen aperuit oculos meos.

Aliter hic nodus ſolvi poteſt, dicendo, intellexiſſe Matthæum optimum Michææ interpretem, verba illius interrogationem continere, tametſi ſcriptione ipſa non adnotetur, quia Hebræi interrogationis, & admirationis puncta ſcribendo non habent: quæ more omnium Gentium tantumdem valeat ac negatio, hoc modo: *tu ne Bethleem Ephrata, parvulus es ut ſis in millibus Juda? non ſane: ex te enim mihi egredietur, qui ſit dominator in Iſrael,* ideſt, Meſſias. Hæc reſponſio nonnullorum Bibliorum Gothicorum antiquiſſimorum lectione nititur, quæ ſic habent: *& tu Bethleem Ephrata, numquid parvula es?* Nec non Syriacæ verſionis latine ita redditæ in Bibliis Polyglottis: *tu vero Bethleem oppidum, num parvum es ut cenſearis inter Myriadas Juda? Ex te prodibit Princeps, qui præſit Iſraeli.* Quod per interrogationem expreſſit Syrus Interpres, Arabs per negationem reddidit: *& tu o Bethleem domus Ephratæ, nequaquam ita parva es, ut non ſis in millibus Juda,* &c. Eumdemque Michææ locum Tertullianus, & Cyprianus negative efferunt ex verſione 70. Interpretum: quamvis Hieronymus, & alii in eorum editione illum abſque negatione legerint, ut nunc habetur. Ut ut ſe res habet, eadem mens eſt Michææ, quæ Matthæi, Bethleemo videlicet ortum Meſſiæ aſſerere, & ob id ſummum decus quod ei inde acceſſurum erat, prout revera in plenitudine temporum acceſſit, contra carnalem illorum opinionem, qui illam ob exiguum pomærii ambitum, & exiguum incolarum numerum contemnebant.

Nec spernenda Hieronymi responsio, Matthæum historice dumtaxat locum hunc protulisse, eo pacto, quo a Doctoribus efferebatur ad perstringendam obiter eorum vel negligentiam, vel ignorantiam.

Nec etiam aliorum spernenda est interpretatio, Michæam prædixisse, Bethleemum, etsi humilem prius, omnium tamen urbium Tribus & nationis Judaicæ nobilissimam, ac felicissimam fore: Matthæum vero, quod a Sacro Vate dictum erat, explicuisse, perinde ac si dixisset: nunc impletum est, o Bethleem, quod a Propheta de te prædictum: non enim jam minima es, ut olim, sed maxima, quia in te natus est Christus Jesus. Sed priores responsiones, quas attulimus, magis simplices sunt, & meliores. In reliquis eumdem esse Prophetæ & Evangelistæ sensum notum est, etsi verba nonnihil diversa sint.

Reges Orientales venturi erant cum muneribus ad Messiam adorandum. Isaiæ cap. 60. v. 1. & sequent. קומי אורי כי בא אורך וכבוד יהוה עליך זרח : כי הנה החשך יכסה ארץ וערפל לאמים ועליך יזרח יהוה וכבודו עליך יראה . . . . . שפעת גמלים תכסך בכרי מדין ועיפה כלם משבא יבאו זהב ולבונה ישאו ותהלת יהוה יבשרו *surge illuminare* (Jerusalem) *quia venit lumen tuum, & gloria Domini super te orta est. Quia ecce tenebræ operient terram, & caligo populos: & super te orietur Dominus, & gloria ejus super te videbitur . . . . . Multitudo Camelorum operiet te, Dromedarii Midian, & Epha: omnes isti de Saba venient, aurum & thus deferent, & laudes Domini annuntiabunt*. Messiam certe istic notatum agnoscit *Beresith rabba* super illud Geneseos cap. 25. dictum: *& emisit eos desuper Isaac filio suo, cum adhuc viveret, ad plagam Orientalem*. Psalm. 71. v. 10. מלכי תרשיש ואיים מנחה ישיבו מלכי שבא וסבא אשכר יקריבו *Reges Tarsis, & Insularum munus referent: Reges Arabum, & Saba munus offerent*. Et v. 15. ויחי ויתן לו מזהב שבא *& vivet, & dabitur ei de auro Arabiæ*. Ad Messiam item referuntur hæc in *Beresith rabba* super illud Genes. cap. 33. dictum: *& compulit eum, & recepit*. Quæ omnia in Domino nostro Jesu Christo impleta esse, ex iis perspicuum est, quæ Matthæi cap. 2. v. 1. & sequent. scribuntur: *cum natus esset Jesus in Bethleem Juda in diebus Herodis Regis, ecce Magi ab oriente venerunt Jerosolymam dicentes; ubi est, qui natus est Rex Judæorum? Vidimus enim stellam ejus in oriente, & venimus adorare*

eum

cum . . . . . Et intrantes domum, invenerunt puerum cum Maria Matre ejus, & procidentes adoraverunt eum: & apertis thesauris suis obtulerunt ei munera, aurum, thus, & myrrham. Nec obstat quod Salomonis nomine Psalmus ille inscriptus sit. Quamvis enim occurrant paucula quædam, quæ Salomoni aptari possint, longe tamen clarioribus notis designatur Messias, quæ sunt ejusmodi, ut in Salomonem minime torqueri possint. Nam quis ista de Salomone putet esse dicta, v. 5. & sequent. ייראוך עם שמש ולפני ירח דור דורים : ירד כמטר על גז כרביבים זרזיף ארץ יפרח בימיו צדיק ורב שלום עד בלי ירח : זירד מים עד ים ומנהר עד אפסי ארץ : לפניו יכרעו ציים ואיביו עפר ילחכו . . . . . וישתחוו לו כל מלכים כל גוים יעבדוהו . . . . . יהי שמו לעולם לפני שמש ינון שמו : ויתברכו בו כל גוים יאשרוהו . . . . . וברוך שם כבודו לעולם וימלא כבודו את כל הארץ *timebunt te cum sole: & ad facies lunæ, in generatione generationum. Descendet sicut pluvia super vellus, sicut imbres stillantes super terram. Florebit in diebus ejus justus, & multitudo pacis, donec non sit luna. Et dominabitur a mari usque ad mare, & a flumine usque ad terminos terræ. Coram illo procident habitatores deserti, & inimici ejus terram lingent . . . . . Et incurvabunt se ei omnes Reges: omnes Gentes servient ei . . . . . Erit nomen ejus in sæculum, coram sole propagabitur nomen ejus; & benedicentur in eo omnes Gentes, & beatificabunt eum . . . . . Et benedictum nomen gloriæ ejus in sæculum, & replebitur gloria ejus omnis terra.* Ad Messiam porro pertinere Psalmum hunc constans est, ut alibi observavimus Judæorum consensus. Idem docent Chaldæus Paraphrastes, & Midrasch Theillim, & liber Siphre, & RR. Selomoh Jarchi, Aben-Ezra, David Kimchi, & Saadias Gaon in Danielem. Quin etiam has voces decimi septimi commatis ינון שמו *innon scemo:* Talmudistæ quidam sic intellexerunt, quasi id sibi vellent, *innon est nomen ejus*, atque inde *innon* nomen Messiæ futurum opinati sunt. Jure igitur Hieronymus in suis in eumdem Prophetam commentariis sic differit: *hic est mos Scripturæ Sanctæ, ut futurorum veritatem præmittat in typis, juxta illud, quod de Domino Salvatore in septuagesimo primo Psalmo dicitur, qui prænotatur Salomonis, & omnia quæ de eo dicuntur, Salomoni non valent convenire. Neque enim permansit ille cum sole, & ante lunam in generatione generationum, neque dominatus est a mari usque ad mare, & a flumine usque ad terminos orbis terra-*

 rum,

rum, nec omnes Gentes servierunt ei, neque ante solem permansit nomen ejus, neque benedictæ sunt in ipso omnes Tribus terræ, neque omnes gentes magnificaverunt eum ex parte autem, & quasi in umbra & imagine veritatis in Salomone præmissa sunt, ut in Domino Salvatore perfectius implerentur.

Messias innumera miracula propria virtute patraturus erat. Isaiæ cap. 35. v. 4. & sequent. : הוא יבוא וישעכם אז תפקחנה עיני עורים ואזני חרשים תפתחנה : אז ידלג כאיל פסח ותרן לשון אלם . . . . . ופדויי יהוה ישבון ובאו ציון ברנה ושמחת עולם על ראשם *ipse veniet, & salvos faciet vos. Tunc aperientur oculi cæcorum, & aures surdorum patebunt. Tunc saliet sicut cervus claudus, & laudabit lingua muti . . . . . Et redempti Domini revertentur, & venient in Sion cum laude, & lætitia sempiterna erit super caput eorum.* In iis Messiæ assignandis cum Christianis conspirant Hebræi, qui ex hoc capite prodigia quædam commenti sunt, in suam gratiam olim a Messia patranda, cum reditum ipsis in Judæam parabit. Maxima etiam edendorum miraculorum virtute præditum fore Messiam, ac Mose longe superiorem, ab iisdem Talmudistis, & *Midrasch Koeleth* traditum est. Revocaturum quoque eumdem mortuos ad vitam scripsit R. Levi-ben Gerson. Quin & ex postremo hoc quod attuli commate demonstrat R. Moses Hadarsan in *Beresith rabba*, pœnis gehennæ damnatos per Messiam liberatum iri, & paradisum ipsis fore aperiendum. Quæ cum a Jesu Nazareno præstita iidem sentiant, ut videbimus, hoc quippe signo, quod clarissimum est, Messiam hunc esse vel palam fateri, vel suspicari saltem debuerunt. Sed omissa horum auctoritate, perspectum sane est nulli, vel Regi Judæorum, vel Prophetæ, imo nec mortali homini convenire posse ea prodigia quæ isthic edenda promittuntur: at Messiæ congruere ostendit Isaias cum ait cap. 42. v. 6. & 7. ואתנך לברית עם לאור גוים : לפקח עינים עורות להוציא ממסגר אסיר מבית כלא ישבי חשך *& dabo te in fœdus populi, in lucem Gentium: ut aperias oculos cæcorum, ut educas e carcere vinctum, e domo carceris sedentes in tenebris.* Et cap. 53. v. 4. אכן חליינו הוא נשא ומכאבינו סבלם *vere languores nostros ipse tulit, & dolores nostros portavit.* Quæ in Christo Jesu completa esse, una est vox Scriptorum omnium Novi Testamenti.

Prodigia porro Jesum nostrum patrasse, inter Hebræos etiam mani-

festa res est. Ac ne eo quidem tempore, quo inter eos versabatur Adorandus noster Salvator, & miracula patrabat, rem negabant; sed vel magica facultate fieri hæc criminabantur, cum dicerent: *hic non ejicit Dæmones, nisi in Beelzebub Principe Dæmoniorum*, ut est apud Matthæum cap. 12. v. 24. Vel id quærebantur fieri die sabbati, ut refert Joannes cap. 5. v. 10. & 16. Maxima etiam mirandorum facinorum facultate præditum fuisse Jesum nostrum disertis verbis scripsit quoque Josephus libro 18. antiquitatum Judaicarum cap. 5. *Eodem tempore*, inquit ille, *fuit Jesus, vir sapiens; si tamen virum illum oportet dicere: erat enim mirabilium operum effector, magister hominum, qui vera libenter amplectuntur. Et plures quidem ex Judæis, plurimos etiam ex Gentibus ad se pertraxit. Christus hic dicebatur. Cum invidia nostrorum Principum Cruci eum Pilatus addixisset, nihilominus, qui eum primum dilexerant, perseveraverunt. Apparuit enim eis tertia die vivens. Multa & hæc & alia mirabilia, carminibus Prophetarum de eo vaticinantibus; & usque hodie Christianorum Gens ab hoc sortita vocabulum non defecit*. Quin & serpentium morsus, & haustus veneni, nomine Jesu sanatos fuisse Talmudistæ referunt in libro de sabbato, capite decimoquarto, & in libro *Avoda zara*, secundo capite; quod & futurum Jesus prædixerat. Mirabilium operum editorem fuisse Jesum nostrum, & fatentur Muhammedani, & ne Ethnici quidem inficiati sunt.

At enim quam Jesu Nazareno concesserunt facultatem prodigiis patrandis idoneam Hebræi, in probrum, & infamiam trahere nituntur, majorum suorum secuti exempla, qui Jesu ipsi exprobrabant, ut supra vidimus, in Beelzebub Dæmoniorum Principe Dæmones ipsum ejicere. Magum ergo fuisse ajunt, & magica arte ad edenda miracula usum fuisse, quam in Ægypto didicerat. Quin & ex iis Jesu apud Matthæum verbis, cap. 24. v. 23. & 24. *tunc si quis vobis dixerit, ecce hic est Christus, aut illic, nolite credere. Surgent enim Pseudochristi, & Pseudoprophetæ, & dabunt signa magna, & prodigia, itaut in errorem inducantur, si fieri potest, etiam electi: ecce prædixi vobis*; colligunt, sponte fassum esse Jesum nostrum se præstigiatorem esse, pseudochristum, & pseudoprophetam: quippe qui iisdem uteretur artibus, quibus qui utuntur, merito existimantur præstigiatores, pseudochristi, & pseudoprophetæ.

Verum

Verum calumnia hæc est maxime execrabilis. Nam ut erudite, sapienterque animadvertit insignis quidam Theologus, hoc monito Discipulos suos præmunivit Christus, adversus eorum fraudes, qui incantationibus, & præstigiis sibi Christi nomen arrogare vellent. Cæterum tantum abest, ut miraculorum patratores damnaverit Jesus noster, ut potius prodigiorum perpetrandorum virtutem Discipulis suis polliceatur: *signa autem*, inquit Marci cap. 16. v. 17. & sequent. *eos, qui crediderint, hæc sequentur: in nomine meo Dæmonia ejicient, linguis loquentur novis, serpentes tollent, & si mortiferum quid biberint, non eis nocebit: super ægros manus imponent, & bene habebunt*. Non ergo prodigialem virtutem aversatur Jesus noster, qua pollebat ipse, & fore promittebat, ut Discipuli quoque sui pollerent; at eam qua futurum sciebat, ut ad munus suum, ac titulos usurpandos impii olim homines abuterentur. Eam, inquam, probabat, quam ad conciliandos sibi hominum animos suis quandoque largitur Deus, quæque reformandis in melius hominum moribus adhibetur; eam repudiabat, quæ in hominum perniciem, & divini cultus corruptelam, Dæmonem auctorem habet. Eam denique jubebat admitti, quæ Mosaicæ similis esset; eam respui, quæ Ægyptiarum incantationum. Adde nemini sano persuaderi posse, portentificæ vi, & doctrinæ Jesu favere Dæmonem, quæ Dæmonis cultum evertit, & idola pessundat. Qua ratiocinatione adversus Judæos Christus Jesus utebatur: *omne*, inquit Matthæi cap. 12. v. 25. & 26. *regnum divisum contra se, non stabit. Et si Satanas Satanam ejicit, adversus se divisus est: quomodo ergo stabit regnum ejus?* Homines præterea ab omni, non actorum solum, & verborum; sed cogitationum etiam pravitate revocabat Jesus noster; ad quam eosdem impellit Dæmon. Id ergo velint, nolint, Judæi fateantur, Jesum nostrum, cum plurima, egregia, & Messiæ personæ dignissima absque dubio, miracula ediderit, ad illa edenda miracula magicis artibus usum non fuisse, sed ea propria ac divina virtute patrasse.

Ut autem penitus obstruatur os loquentium iniqua, reliquum est modo, ut recentium quorumdam Judæorum cavillationem paulo quidem tolerabiliorem diluamus. Inquiunt igitur isti, Jesum talia edidisse, quæ facultatem omnem creatam excedunt, non præstigiis, & incantationibus, non Dæmonum ope, sed virtute nominis divini, quod שם המפירש *scem bammephoras*, idest, nomen

expofi-

expositum vocant, seu nomen Dei propriis elementis expressum; cujus ea vis erat, ut quicumque illud didicisset, omnium prodigiorum potens esset. Quomodo autem nomen illud didicerit, ostendere volentes, narrant in Jerosolymitano Templo extitisse lapidem, cui olim Arca imponi solita fuerat, in eoqne insculptum fuisse nomen illud, eumque memoriæ mandasse, & ejus ope tot deinde prodigialis virtutis opera edidisse.

Egregie id sane. Verum ecquem nobis commenti hujus testem dabunt? quis saxi hujus, & insculpti in eo divini nominis? an Josephum, qui Templum, & quidquid Templo memoratu dignum inerat, diligenter recensuit? minime certe. Quis Sacri nominis saxo describendi auctor fuit? an Salomon? obsecro cur Salomon, aut quicumque rei artifex fuit, arte ipsa usus non est, & nullis prodigiis inclaruit? At eos prorsus mentiri, atque falsiloquos esse, ex eo maxime perspectum est, quod Apostoli, cæterique ejus Discipuli post ipsius mortem, non per *scem bammephoras*, sed in nomine ipsius Jesu Nazareni, teste Talmude Jerosolymitano, in libro qui *Avoda zara* dicitur, miracula patrabant. Idem quoque traditur in *Midrasch Koeleth* super illud 1. cap. dictum: *cunctæ res difficiles*. Contra porro Judæos negantes Jesum Christum propria ac divina virtute miracula edidisse, ita ipse apud Oseam cap. 7. vers. 13. ait: אוי להם כי נדדו ממני שד להם כי פשעו בי ואנכי אפדם והמה דברו עלי כזבים *væ eis, quia elongaverunt se a me: vastatio erit eis, quia prævaricati sunt in me: & ego redemi eos, & ipsi locuti sunt contra me mendacia*. Quibus paria leguntur Jeremiæ cap. 5. v. 2. & sequent.

Concludendum itaque est, Dominum nostrum Jesum Christum, ejusque sectatores opera in nomine ipsius fecisse, quæ totius naturæ excedunt virtutem, in mirabili omnis generis languorum curatione, in mortuorum suscitatione, & quod mirabilius est in humanarum mentium subita inspiratione; cum idiotæ scilicet atque ignari Spiritu Sancto semel repleti, inde summam sapientiam, scripturarum intelligentiam, variarumque linguarum peritiam consecuti sunt. Hæc, inquam, omnia a Jesu nostro, & post ipsum ab iis qui in ipsum crediderant in nomine ejus facta fuisse, quæ deinde consequuta sunt, evidenter ostendunt: quod nimirum non armorum usus violentia, non licentia voluptatum, sed per rudes ac simplices Discipulos, valde paucos, & pauperes, contra inauditam

ditam persecutorum totius orbis tam Judæorum, quam Gentilium rabiem, ac tyrannidem, innumerabilem turbam non rudium atque vulgarium modo hominum, verumtamen & Sapientissimorum Jesus ad se pertraxit: iique spreto Dæmonum cultu, qui ita animos alliciebat, ut ab ipso nunquam antea, aut per Mosem, aut per aliquem alium, etiam per aliquot sæcula ipsi Judæi multis ac stupendis visis miraculis usquequaque aversi fuerint, ad fidem ipsius Domini Jesu affectuosissime sunt conversi. In qua quidem fide omnem humanum intellectum, rationemque excedentia docentur, corporis voluptates maxime mortalibus nimium adlubescentes, cohibentur; laboriose invisibilia quæri, & mundana omnia contemni jubentur: quibus animos mortalium assentiri, & maximum miraculum est, & manifestum divinæ inspirationis opus. Hoc autem non á fortuna, vel casu factum fuisse ex eo potissimum manifestum est, quod id ipsum multis ante sæculis per Vatum Oracula, se Deus facturum prædixit, tempus & modum faciendi designando. Hæc igitur tam mirabilis ad fidem Jesu nostri mundi conversio, antecedentium quæ narrantur, & in libris scripta leguntur miraculorum, certissimum est indicium: ita ut ulterius ea adhuc edi, non sit necesse, cum in suo effectu clarissime appareant. Quamvis nostris etiam temporibus, ad Christianæ fidei, decus & amplificationem, per Sanctos suos miracula Deus facere non cesset. Quocirca si nonnulli Judæorum perfracte miracula Christi, ejusque Discipulorum negare vellent, id nobis unum grande, ac omnium maximum restat miraculum, quod ad credenda tam ardua, ad agendum tam difficilia, sanguini & carni contraria, & ad sperandum tam alta, tamque occulta, mundus a suis erroribus & vitiis, quibus illectus erat, per homines paucos, ignaros secundum sæculum mendicos inductus sit, eisque crediderit.

Messias Propheta esse debebat. Deuteronomii cap. 18. vers. 18. נביא אקים להם מקרב אחיהם כמוך ונתתי דברי בפיו ודבר אליהם את כל אשר אצונו *Prophetam suscitabo eis de medio fratrum eorum, sicut tu: & ponam verba mea in ore ejus, & loquetur ad eos omnia, quæ ego præcepero ei.* Quod Oraculum non de Josue, non de Davide, Jeremia, vel de aliis Prophetis, ut quidam Judæi commentantur, sed de uno Christo Jesu intelligendum est, ut capite sexto abunde demonstravimus. Jesum autem inter & Mosem

sem summa similitudo intercessit, ut fuse docet Eusebius libro tertio Demonstrationis Evangelicæ, cap. 2. „ Num, *inquit*, ex
„ iis qui post Mosem extiterunt Prophetæ, Esaias exempli gra-
„ tia, aut Jeremias, aut Ezechiel, aut Daniel, aut alius quis-
„ piam de cæteris duodecim, legum auctori Mosi conferendus ex-
„ titit? Nequaquam. Sed ex illis tandem quis unquam Mosi simi-
„ lia effecit? Nusquam poteris dicere. Sed quisque illorum a pri-
„ mo ad novissimum quoscumque instituebant ac docebant,
„ ad ipsum Mosem remittebant, atque in hoc populum re-
„ prehendebant, quod Mosis legem non servasset, sed con-
„ tra illam fecisset, nec illum ad quidquam aliud hortabantur,
„ nisi ad ea firmiter tenenda, quæ in lege Mosis posita sunt.
„ Nullum igitur horum illi similem dixeris: atqui Moses de uno
„ duntaxat certe ac definite loquitur. Quem nam igitur alium
„ Mosi similem futurum Prophetam canit oraculum illud, nisi
„ Salvatorem & Dominum nostrum Jesum Christum? Quomodo
„ autem hoc dictum sit, diligentius contemplari necesse est. Pri-
„ mus Moses Genti Judaicæ præfuit: cumque eos deprehendisset
„ Ægyptiis superstitionibus, multorumque Deorum cultu implici-
„ tos, primus ab iis illos avertit, inevitabilibus suppliciis culto-
„ res simulacrorum deterrens, & primus eis Theologiam osten-
„ dit, eam quæ unius principatum docet, præcepitque ut unum
„ Opificem, Auctoremque rerum omnium colerent: primus etiam
„ religiosæ vitæ illis institutionem quamdam disponens atque as-
„ signans, piæ, sanctæque reipublicæ illis auctor & primus & so-
„ lus apparuit. Atqui Jesus quoque Christus, sicut Moses simili-
„ ter, ac multo quidem excellentius: qui primus ejus doctrinæ,
„ quæ veram religionem instituit reliquis Gentibus, Auctor &
„ Magister fuit: & primus per totum terrarum orbem simulacro-
„ rum cultum evertit, primusque unius omnium Regis Dei co-
„ gnitionem & reverentiam cunctis ostendit hominibus: novæque
„ vitæ, ac piis hominibus accomodatæ reipublicæ primus introdu-
„ ctor, legisque lator extitit. Ad hæc, ea quæ de mundi ortu,
„ & quæ de animæ immortalitate feruntur, aliaque omnia philo-
„ sophica præcepta quæcumque ejusdem sunt generis, primus Mo-
„ ses Judæorum tradidit nationi. Sed hæc multo divinius primus
„ cæteris Gentibus Jesus Christus per suos Discipulos demonstra-
„ vit, ut sane merito Mosem primum, solumque pietatis legum

 „ lato-

„ latorem Judæorum appellare æquum ſit: Jeſum autem Chriſtum „ Gentium univerſarum, ſicut prophetia quæ de illo eſt, canit: „ *conſtitue Domine legislatorem ſuper eos, agnoſcant Gentes quod* „ *homines ſunt*. Moſes præterea geſtis mirabilibus, & prodi- „ giis religionem a ſe inſtitutam & traditam confirmavit. Itidem „ Chriſtus iis miraculis, quæ etiam ſcriptis tradita eſſe omnes „ novimus ad fidelium intuentium uſus, novis ſuæ doctrinæ Evan- „ gelicæ præceptis ſtabilitatem ac perpetuitatem adjunxit. Rur- „ ſus Moſes Gentem Judaicam ab intolerabili ſervitute, qua ab „ Ægyptiis premebatur, in libertatem vindicavit. Chriſtus quo- „ que omne genus humanum ab impio atque Ægyptiaco ſimula- „ crorum cultu, quo ſub malis Dæmonibus tenebatur, revocavit „ ad libertatem. Denique Moſes terram ſanctam, & in ea vi- „ tam Deo gratam & beatam iis qui legem ſervarent promiſit. „ Simili ratione Jeſus Chriſtus: *beati*, inquit, *mites*, *quoniam ipſi* „ *poſſidebunt terram*, longe utique meliorem terram, vereque „ ſanctam ac Deo gratam; non eam quæ eſt in Judæa, quæ pla- „ ne a reliquis nihil differt, ſed Dei amatricibus in cælo anima- „ bus convenientem, iis qui vivendi rationem a ſe poſitam ple- „ ne obſervaverint, pollicitus. Quod quidem apertius indicans iis, „ quos apud ſe beatos futuros prædicabat, regnum cœlorum ap- „ pellavit. Cæterum, alias quoque res a Salvatore geſtas inve- „ nies, quæ virtute longe præſtiterint iis quas Moſes edidit, ma- „ gnam tamen cum Moſaicis illis habentes ſimilitudinem. Exem- „ pli gratia: Moſes totos quadraginta dies jejunus fuit . . . . . „ Itidem etiam Chriſtus. Rurſus Moſes in deſerto alimenta po- „ pulo præbuit. Salvator quoque ac Dominus noſter quinque pa- „ nibus quinque millia hominum pavit. Item Moſes per medium „ mare ingreſſus eſt, populoque itineris dux fuit . . . . . Simili „ poteſtate, ac Deo etiam convenientius, Jeſus qui Chriſtus eſt „ Dei, in ſuperficie maris ingrediens, Petrum item ad ſe incede- „ re ſuper eadem fecit . . . . . Moſes vento Auſtro violento ma- „ re ſolidum fecit . . . . . Eadem ratione, ac multo quidem „ præſtantius Salvator noſter increpuit ventum & mare, & fa- „ cta eſt tranquillitas magna . . . . . Moſis item vultus, cum „ de monte deſcenderet cernebatur plenus gloria . . . . . Simili „ ratione, & longe quidem excellentius, Salvator noſter cum du- „ xiſſet ſuos Diſcipulos in montem excelſum valde, transfiguratus

„ eſt

„ est coram eis, & resplenduit facies ejus sicut sol, vestimenta „ autem ejus facta sunt alba sicut nix. Moses item leprosum „ mundavit; siquidem scriptum est: & ecce Maria lepra candens „ sicut nix. Et paulo post: & clamavit Moses ad Dominum di- „ cens: Deus obsecro sana eam. Simili ergo ratione, sed longe „ majori potestate Christus Dei, cum ad eum leprosum accessis- „ set, dixissetque: si vis, potes me mundare: respondit, volo, „ mundare, & mundata est ejus lepra. Rursus Moses digito Dei „ scriptam esse legem affirmavit. Nempe sic scriptum est: & de- „ dit Mosi, cum desiisset loqui ad eum in monte Sina, duas ta- „ bulas testimonii, tabulas lapideas, scriptas digito Dei. Et in „ Exodo: dixerunt igitur incantatores Pharaoni, digitus Dei est „ hic. Itidem Jesus quoque qui Christus est Dei, Pharisæis dice- „ bat: si autem in digito Dei ejicio Dæmonia. Ad hæc omnia, „ Moses denominavit Jesum Nave. Pari ratione etiam Salvator „ Simonem Petrum. Atque item Moses constituit populo, qui „ præessent septuaginta . . . . . Sic etiam ipse Salvator designa- „ vit suos Discipulos septuaginta, & misit binos ante faciem „ suam. Rursus Moses duodecim viros emisit terram exploratu- „ ros. Noster item Salvator, multoque etiam præstantius, duode- „ cim Apostolos misit ad inspiciendas omnes Gentes. Rursus Mo- „ ses ponit legem quæ dicit: *non occides*, *non mœchaberis*, *non fu-* „ *raberis*, *non pejerabis*. At Salvator noster lege proposita non „ occidere solum, sed etiam irasci prohibet; & pro eo quod di- „ ctum est, non mœchari, ne intueri quidem mulierem cum pe- „ tulanti cupidine admonet; & pro eo quod est, non furari, res „ proprias indigentibus elargiri imperat: etiam illud longe tran- „ siliens, quod est non pejerare, ne jurare quidem ullo modo in- „ stituit. Et quid me oratione longius provehi necesse est, ut „ demonstrem similia, finitimaque inter se, Mosem ac Salvato- „ rem Dominumque nostrum fecisse? Cum unicuique volenti, in „ otio talia colligere facillimum sit. Etenim cum Mosis mortem „ novisse neminem dicant, ac ne sepulchrum quidem ejus; ne- „ que itidem Salvatoris nostri post reditum suum in vitam, mu- „ tationem in speciem divinam quisquam scire potuit. Si igitur „ in tam multis rebus alius nemo, sed solus Salvator noster, qui „ cum Mose similitudinem factorum habuerit, proferri potest, su- „ perest jam ut in illum unum spectemus. Neque vero ad alium

 „ quem-

„ quempiam referamus prophetiam, quæ apud Mosem extat, in „ qua illi similem suscitaturum se Deus respondet . . . . . Constat igitur, divinum spiritum per Mosem de Salvatore nostro cecinisse, siquidem unum ipsum, neque alium quempiam Mosi similem extitisse, qualem ipsius Mosis verba describunt, „ jam comprobatum est. „ Hæc Eusebius. His adde, Mosem ac reliquos etiam Israelitarum filios, statim ab ortu, nefario Pharaonis mandato fuisse morti addictos; Jesum nascentem ab Herode fuisse ad mortem quæsitum, reliquos etiam Bethleemitici tractus infantes trucidatos. Mosem vero & Jesum parato sibi letho a parentibus fuisse subductos. Denique quemadmodum reliquis Prophetis longe præstitit Moses, sive propheticam facultatem spectes, sive patrata prodigia: ita eos, atque ipsum etiam Mosem, Christus longo intervallo superavit, & quoad vim futurorum præsciam, & quoad miraculorum edendorum facultatem.

Facultate prophetica floruisse Jesum nostrum fatentur quoque Muhammedani, & ne Ethnici quidem inficiati sunt. Talmudistæ similiter inter Messiæ virtutes propheticam facultatem non postremam recensent. Quin & futurum perhibent ut Messias de odore virum nequam a probo secernere possit, & internoscere.

Quæret fortasse nonnemo, quid prophetaverit Jesus noster?

Respondeo multa prophetice prædixisse, præsertim vero de seipso, de Discipulis suis, & de Judæis. Nam de seipso quidem prænuntiavit illud apud Lucam cap. 18. v. 31. & sequent. *ecce ascendimus Jerosolymam, & consummabuntur omnia, quæ scripta sunt per Prophetas de filio hominis: tradetur enim Gentibus, & illudetur, & flagellabitur, & conspuetur, & postquam flagellaverint, occident eum, & tertia die resurget*. Pariter apud Matthæum cap. 16. v. 21. & sequent. *Exinde cœpit Jesus ostendere Discipulis suis, quia oportet eum ire Jerosolymam, & multa pati a Senioribus, & Scribis, & Principibus Sacerdotum, & occidi, & tertia die resurgere . . . . . Filius enim hominis venturus est in gloria Patris sui cum Angelis suis: & tunc reddet unicuique secundum opera ejus*. De Discipulis vero suis, cum dixit apud Matthæum cap. 10. v. 16. & sequent. *ecce ego mitto vos sicut oves in medio luporum. Estote ergo prudentes sicut serpentes, & simplices sicut columbæ. Cavete autem ab hominibus: tradent enim vos in Conciliis, & in Synagogis suis flagellabunt vos: & ad Præsides, & ad Reges ducemini*

cemini propter me, in testimonium illis, & Gentibus . . . . . Tradet autem frater fratrem in montem, & pater filium: & insurgent filii in parentes, & morte eos afficient: & eritis odio omnibus propter nomen meum. Et cap. 26. v. 31. & sequent. *Tunc dicit illis Jesus: omnes vos scandalum patiemini in me, in ista nocte . . . . . Postquam autem resurrexero, praecedam vos in Galilaeam. Respondens autem Petrus ait illi: etsi omnes scandalizati fuerint in te, ego nunquam scandalizabor. Ait illi Jesus, amen dico tibi, quia in hac nocte, antequam gallus cantet, ter me negabis*. Item apud Joannem cap. 16. v. 16. & sequent. *Modicum, & jam non videbitis me: & iterum modicum, & videbitis me, quia vado ad Patrem . . . . . Amen, amen dico vobis, quia plorabitis, & flebitis, mundus autem gaudebit: vos autem contristabimini, sed tristitia vestra vertetur in gaudium . . . . . In mundo pressuram habebitis: sed confidite, ego vici mundum*. Similiter Act. cap. 1. v. 8. *Sed accipietis virtutem supervenientis Spiritus Sancti in vos, & eritis mihi testes in Jerusalem, & in omni Judaea, & Samaria, & usque ad ultimum terrae*. Vaticinatus est demum de Judaeis, cum, ut ait Lucas cap. 19. v. 41. & sequent. *Videns civitatem flevit super illam, dicens: quia si cognovisses & tu, & quidem in hac die tua, quae ad pacem tibi, nunc autem abscondita sunt ab oculis tuis. Quia venient dies in te, & circumdabunt te inimici tui vallo, & circumdabunt te, & coangustabunt te undique: & ad terram prosternent te, & filios tuos, qui in te sunt, & non relinquent in te lapidem super lapidem: eo quod non cognoveris tempus visitationis tuae*. Et alia id genus pene sexcenta, quae commemorare longum esset.

Messias non solum moriturus erat morte turpissima, suoque sanguine humanum genus expiaturus; ut capite octavo abunde demonstravimus; sed etiam descensurus erat post mortem suam ad inferos, ut Sanctorum animas illinc extraheret, ac sempiterna felicitate donaret. Psalm. 106. v. 14. יוציאם מחשך וצלמות ומוסרותיהם ינתק *eduxit eos de tenebris, & umbra mortis: & vincula eorum disrupit*. Et v. 20. ישלח דברו וירפאם וימלט משחיתותם *misit verbum suum, & sanavit eos: & eruit eos de internecionibus eorum*. Isaiae cap. 42. v. 6. & 7. : ואתנך לברית עם לאור גוים לפקח עינים עורות להוציא ממסגר אסיר מבית כלא ישבי חשך & *dabo te in foedus populi, in lucem Gentium: ut aperias oculos caecorum, ut*

ut educas e carcere vinctum, e domo carceris sedentes in tenebris. Oseæ cap. 6. v. 2. יחיינו מימים ביום השלישי יקמנו ונחיה לפניו *vivificabit nos post duos dies: in die tertia suscitabit nos, & vivemus in conspectu ejus.* Et cap. 13. v. 14. מיד שאול אפדם ממות אגאלם אהי דבריך מות אהי קטבך שאול *de manu inferni redimam eos, de morte redimam eos: eio pestis tua, o mors, ero exitium tuum inferne.* In Christo porro Jesu hæc omnia completa esse, testificantur Scriptores Novi Testamenti. Merito itaque hæc, in summa emphasi sua, pertinere credimus ad ipsum ejus descensum, *in inferiores*, ut Paulus ait, *partes terræ*, indeque animarum fidelium & piarum eductionem.

Ut autem magis, magisque adhuc recentium Judæorum convincatur perfidia, id ipsum Messiam facturum fuisse, ostendere quoque per eorum scripturas necesse est. Messiam igitur ad infernum descensurum, atque electos omnes inde educturum fuisse, per illud in primis patet, quod in *Beresjith rabba*, idest, in expositione libr. Geneseos R. Mosis Hadarsan legitur, ubi super illud 24. ejusdem libri dictum, *& induxit me in tabernaculum*, sic dicitur: *R. Josue ben Levi, se Messia filio Davidis comitatum, abiisse cum Angelo mortis nomine* קיפוד *Kippod, gehennæ præfecto, quoad portas gehennæ perventum est: captivos autem illuc detrusos, viso Messiæ lumine, summis eum excepisse lætitiis, sperantes futurum, ut ab eo tantis tenebris eximerentur, juxta hoc effatum Oseæ* cap. 13. v. 14. *De manu inferni redimam eos, de morte redimam eos;* & illud Isaiæ cap. 35. v. 10. *& redempti Dei revertentur, & venient in Sion cum laude, & lætitia sempiterna super caput eorum: gaudium, & lætitiam apprehendent, & fugient dolor, & gemitus:* Sion autem Paradisum illic significare. Hactenus traditio: quæ tametsi stultum quoddam videatur ponere figmentum; quia tamen Talmudistæ arcana Messiæ nonnisi in parabolis tradere soliti sunt: ideo figmentum illud finxerunt, ut Messiæ descensum ad inferos; gaudiumque Sanctorum Patrum in limbo existentium, quod propter ipsius adventum, fuamque liberationem habituri erant demonstrarent. Tum paulo post addit laudatus R. Josue, septem nominibus appellari gehennam, quorum primum est שאול *sceol*, hoc est, infernus: deinde אבדון *Avadon*, idest, perditio: בור שחת *bor sahath*, lacus corruptionis: בור שאון *bor seon*, lacus tumultus, vel mugitus: טיט היון *tit ajaven*, lutum fæ.is:

צלמות

צלמות *ztalmavet*, umbra mortis; & ארץ תחתית *eretz tachtith*, terra inferior. Et *sceol* quidem infernus dicitur, sicut dictum est Psalm. 16. *quia non derelinques animam meam ad infernum*. *Avadon* vero, sicut scriptum est Psalm. 88. *numquid narrabitur in sepulchro misericordia tua, & fides tua in perditione? Bor sabath* autem, sicut scriptum est Psalm. 55. *& tu Deus descendere eos facies in puteum, vel lacum corruptionis*. *Bor sceon* quoque, *& tit ajaven*, sicut scriptum est Psalm. 40. *& ascendere me fecisti de puteo tumultus, & de luto fæcis*. *Ztalmavet* etiam, sicut scriptum est Psalm. 107. *sedentes, vel morantes in tenebris, & umbra mortis*. Hæc ille. Ex quibus nominibus noscitur, quomodo hujusce-modi nomina, in Scripturis Divinis intellexerint veteres Judæi. Dicitur præterea apud eos infernus proprio nomine גיהנם *gehinnam*, idest, *vallis hinnom*.

Quod autem שאול *sceol* sit infernus, & quod omnes homines propter originale peccatum ante Messiæ adventum ad infernum descenderint, & quod nemo eorum pro redemptionis pretio satisfacere potuerit, habetur in *Midrasch Theillim*, idest, in expositione Psalmorum super illud Psalm. 49. *etiam filii Adam:* & super illud Psalm. 85. *quia misericordia tua magna est super me*. In *Midrasch Ruth*, hoc est, in expositione Ruth, super illud ult. cap. *hæ sunt generationes Phares*. In *Midrasch Koeleth*, idest, in expositione Ecclesiastis, super illud 1. cap. dictum: *omnia flumina vadunt in mare:* & super illud etiam cap. 7. *justus perit in justitia sua*. Et denique in libro qui *Hagbiga* dicitur, in cap. quod incipit: *omnes sunt obligati*.

Quid plura? Messiam ad inferos descensurum fuisse, ut animas electorum inde educeret, ille Judæorum quoque Doctor, quem ipsi רבינו הקדוש *Rabbenu baccados*, idest, magistrum nostrum sanctum vocant, ostendit, in libro quem *Gale razeja*, hoc est, revelatorem arcanorum appellavit. Et præcipue ad secundam Antonini Consulis Urbis Romæ petitionem: ubi inter cætera, ut refert noster Galatinus lib. 8. cap. 21., idem Antoninus ab eo quæsivit, dicens, ex quo גבר *ghever*, idest, vir, Deum significat, quid sibi vult textus ille Threnorum 3. cap. scriptus: *ego ghever*, hoc est, *vir videns paupertatem in virga indignationis suæ: me minavit, & adduxit in tenebras, & non in lucem?* Respondit ei Rabbenu: *hic est Deus sanctus & benedictus, qui ait, ego sum vir*,

qui

qui vidi paupertatem. Me minavit, & adduxit in tenebras, & non in lucem: hic itidem Deus sanctus & benedictus est, qui dixit, decrevi descendere ad inferos, ad redimendas animas justorum, quas in virga indignationis suæ Pater meus qui est in cœlis, illuc detrudit propter peccatum Adæ. Similiter eodem in libro ad sextam ejusdem Antonini petitionem, idem *Rabbenu baccados* fatetur se in libro R. Simeonis Johai qui *Mecbkar bassodoth*, ideft, investigatio secretorum nuncupatur, hæc inter cætera invenisse: *his auditis cœpit flere R. Oseas, dixitque: væ illis, væ illis impiis, iniquis, homicidis Israel, ob quorum amorem ut peccatum eis dimittat, Deus mittet filium sanctum suum, & carne humana se induet. Væ illis, quia propter suas pravas actiones, rebelles erunt huic Messiæ, nec respicient dicta, quibus imperabit ut mundificentur aqua mundificationis ad expianda eorum peccata; nec incedent in viis Deo gratis, nec facient ejus voluntatem, sed ingenti iracundiâ perciti, ipsum occident. Tunc anima ejus descendet ad inferos, apud quos triduo morabitur, ut inde omnes animas Patrum, justorumque educat, sicut dictum est* Genes. 47. cap. *ego descendam tecum in Ægyptum, & ego inde educam te. Et faciet Deus sanctus, & benedictus, ut eos in paradisum deducat, sintque læti in gloria Dei, juxta illud* Oseæ 6. cap. *dictum: vivificabit nos post duos dies: in die tertia suscitabit nos, & vivemus in conspectu ejus.* Hæc omnia ille, quem ipsi magistrum nostrum sanctum appellant. Ex quibus etiam perspicuum est, Messiam Deum & hominem illico post mortem suam ad infernum descensurum fuisse, atque animas electorum suorum inde educturum.

Messias die tertia resurrecturus erat a mortuis. Psalm. 3. v. 6. אני שכבתי ואישנה הקיצותי כי יהוה יסמכני *ego accubui, & dormivi, evigilavi: quia Dominus sustentavit me.* Psalm. 15. v. 10. כי לא תעזב נפשי לשאול לא תתן חסידיך לראות שחת *quoniam non derelinques animam meam in inferno: non permittes sanctum tuum videre corruptionem.* Hæc Davidi aptari non posse ait Petrus Actuum cap. 2. v. 25. & sequent. cujus corpus post mortem sepultum, & in tabem solutum more reliquorum cadaverum fuit. Ad Christum ergo referenda sunt. Et certe notis quibusdam tam claris istic expressus est Christus, ut neminem paulo oculatiorem latere possit: quem enim esse dicas Sanctum Dei, nisi qui a Daniele cap. 9. v. 24. *sanctitas sanctitatum*, seu *sanctus sanctorum* appellatur.

Cui-

Cuinam amœnitates ad dexteram Dei promissas dicas, nisi cui Deum dixisse ait alio Psalmo David: *Dixit Dominus Domino meo, sede ad dexteram meam*. Verba porro hæc: *non derelinques animam meam in inferno*; nequaquam significant Jesum Christum in inferno fuisse, nisi dixeris, illuc animam ejus descendisse, ut Patriarcharum, justorumque animas, quæ ibi detinebantur, inviseret, consolaretur, ac de obscuris locis illis educeret, ut paulo ante diximus: quo in sensu vulgo ea symboli verba explicantur: *descendit ad inferos*. Non enim illuc descendit vel ut pateretur, vel ut permaneret, vel aliquam ob necessitatem; ita ut hoc gloriosum ipsius, privilegium censeatur, quod illic cum aliis minime relictus fuerit, quemadmodum Prophetæ sermo videtur innuere: *non derelinques animam meam in inferno*. Illuc igitur veluti triumphaturus pervasit, ac mortis, Dæmonisque victor descendit. Psalm. 29. v. 4. יהוה העלית מן שאול נפשי חייתני מירדי בור *Domine eduxisti ab inferno animam meam: vivificasti me a descendentibus in sepulchrum*. Psalm. 40. v. 11. ואתה יהוה חנני והקימני ואשלמה להם *& tu Domine miserere mei, & resuscita me, & retribuam eis*. Psalm. 48. v. 16. אך אלהים יפדה נפשי מיד שאול כי יקחני *verumtamen Deus redimet animam meam de manu inferi, cum susceperit me*. Oseæ cap. 6. v. 2. & 3. יחיינו מימים ביום השלישי יקמנו ונחיה לפניו : ונדעה נרדפה לדעת את יהוה כשחר נכון מצאו ויבוא כגשם לנו כמלקוש יורה ארץ *vivificabit nos post duos dies: in die tertia suscitabit nos, & vivemus in conspectu ejus: & sciemus, sequemur, ut cognoscamus Dominum: tanquam aurora præparatus est egressus ejus, & veniet tanquam imber nobis, veluti serotinus imber temporaneus terræ*. Et cap. 13. v. 14. אהי דבריך מות אהי קטבך שאול *ero pestis tua, o mors, ero exitium tuum inferne*. Jonæ cap. 2. v. 1. & sequent. ויהי יונה במעי הדג שלשה ימים ושלשה לילות : ויתפלל יונה אל יהוה אלהיו ממעי הדגה . . . . . ויאמר יהוה לדג ויקא את יונה אל היבשה *& fuit Jonas in ventre piscis tribus diebus, & tribus noctibus. Et oravit Jonas ad Dominum Deum suum de ventre piscis . . . . . Et dixit Dominus pisci, & evomit Jonam in aridam*. Hæc porro omnia in Christo Jesu finem habuisse, ipsumque tertia die a mortuis resurrexisse, Evangelistæ, testes idonei, scripsere. Nec Judæis Christiana hæc doctrina invidiosa esse debet, cum popularis eorum Josephus lib. 18. Antiquitatum Judaicarum cap. 5. in celeberrimo illo de Christo Jesu testimonio: quod te-

 stimo-

ſtimonium cum ab aliquibus in dubium revocetur, a doctiſſimis tamen viris videtur mihi ſatis vindicatum; hæc, ut alibi obſervavimus, ſcripſerit: *apparuit enim eis tertia die vivens. Multa & hæc & alia, carminibus Prophetarum de eo vaticinantibus*. Cumque vetuſtiſſimus præterea ac celeberrimus Doctor eorum & Princeps R. Jehuda haccados, in libro Rabbi Abrahami, qui *Gale razeia*, hoc eſt, revelans arcana, inſcribitur, ſic diſſerat: *poſt triduum vero anima Meſſiæ ad corpus ſuum revertetur, & exibit ex illo lapide in quo erit ſepultus; ſicut dictum eſt Exodi* 33. cap. *ecce locus iſte apud me, & ſtabis ſuper petram: & erit cum tranſierit gloria mea, ponam te in foramine petræ*. Cumque demum R. Moſes Hadarſan in *Bereſſith rabba*, ideſt, Geneſi magna, explicans illud Geneſeos cap. 22. *in die tertia levavit Abraham oculos ſuos, & vidit locum procul, dicat: multæ ſunt in Sacra Scriptura dierum trinitates, quarum una eſt reſurrectio Meſſiæ*. Unde illud Corinth. cap. 15. v. 4. *& quia reſurrexit tertia die ſecundum Scripturas*. Quibus propoſitis, nunc argumenta adverſariorum diluamus.

Clamant igitur Judæi, Jeſu corpus ab Apoſtolis fuiſſe ſurreptum, ſopitis ſomno cuſtodibus; hincque ortam opinionem de Jeſu ad vitam vocato.

Verum, ut erudite animadvertit doctiſſimus quidam Theologus, cum Judææ Principes Chriſti de futuro ſuo ad vitam reditu pollicitatione commoti ſepulchrum ipſimet obſignaſſent, cuſtodes appoſuiſſent, modiſque omnibus præcaviſſent, ne fraus ſibi fieret ab illius Diſcipulis: eadem opera factum eſt, ne intentatam ſibi fraudem cauſari jam poſſint, poſtquam re ipſa revixit: nullaque jam iis ſuppetit de dolo malo criminatio, atque exceptio. Præterea, quis putet, Apoſtolos viros ſimplices, rudes, imperitos, meticuloſos etiam; & ad ſatellitum adventum, imo ad unius ancillulæ vocem paulo ante trepidantes, tantum auſos fuiſſe facinus, ut Corpus Chriſti Jeſu ſurriperent, & deceptis cuſtodibus numeroſiſſimæ Judæorum factioni os ſublinirent? Quis credat tantum ipſis ſuperfuiſſe otii, ut ingentem lapidem ſepulchri oſtio appoſitum amovere, & ſudarium, ac inſtitas Corpori Chriſti unguentis delibuto adhærentes explicare, atque disjungere poſſent, dum prope erant ſatellites ſemiſomnes, quos vel leviſſimum murmur poterat excitare? Sed etſi daremus, id attentare Apoſtolos potuiſ-

ſe,

ſe, quis eos id voluiſſe ſibi perſuadeat? Quis eos adeo inſaniiſſe cenſeat, ut, nullo propoſito operæ pretio, fraudem univerſo hominum generi, ſibique ipſis ſtruere vellent; & vitam pro mendacio, cujus eſſent ſibi conſcii, & pro fictitia religione paciſci, ac profundere? Quis fingat ſibi, tot homines in periculoſum adeo flagitium, cujuſmodi erat ſurreptio Corporis Chriſti, falſamque de eo redivivo opinionem ſpargendam mutuo conſpiraſſe?

Ad hæc, imprudenter prorſus a Judæis excogitatum eſt commentum illud de cuſtodibus ſomno correptis, qui ſurreptum Chriſti Corpus atteſtarentur: nam quomodo ſopiti homines deprehendere per ſomnum potuere, Corpus Jeſu ab Apoſtolis fuiſſe ſurreptum? Quove pacto id reſciverunt, quod inſciis ipſis, & incautis, ac dormitantibus factum eſt? Accedit & illud obſervatione digniſſimum, Apoſtolos poſt vulgatum de Chriſto redivivo rumorem diu Jeroſolymis ſubſtitiſſe, palamque fuiſſe converſatos; Si ergo Chriſtus ad vitam minime rediiſſet, ſed ipſius e contrario corpus mortuum de tumulo ſuſtuliſſent: quid facilius Pontificibus, aliiſque Synagogæ Principibus, quam ab iiſdem ſublatum corpus iterum repetere, palamque ſpectandum plebi proponere: quo conſpecto, rumor ſtatim omnis de redivivo Chriſto conticuiſſet? At nihil hujuſmodi quidquam ab iis tentatum eſt, quorum tanti nihilominus intererat, vulgatum rumorem momento depellere.

Ad ſtolidam majorum ſuorum fabulam, ſtolidiorem hanc adjecerunt Judæi recentiores, Corpus Chriſti ab Apoſtolis furto ſublatum, & in proximis locis occultum, non multo poſt per Pontificum excurſores, & emiſſarios fuiſſe repertum.

Nam quo id auctore referunt, quod veterum nullus ſcriptis mandavit? Cur palam ſpectandum non propoſuerunt corpus Pontifices, quo conſpecto rumor omnis de redivivo Chriſto conticuiſſet.

Erunt fortaſſe, proſequitur idem percelebris Theologus, qui dicant, Apoſtolos ad Sepulchrum ſubterraneos cuniculos egiſſe, ſuffoſſaque ſubtus humo, Corpus Chriſti ab ima parte ſurripuiſſe: qua arte facile fuerit cuſtodes fallere.

Sed, inquit ille ſummus vir, repugnat Matthæus, cum cap.28. v. 13. ait finxiſſe Pontifices ſurreptum fuiſſe Corpus Chriſti dormientibus cuſtodibus: nam ſi per cuniculos ablatum eſt, etiam vigilantibus cuſtodibus fieri id potuit, neque ad hujuſmodi fabu-

 lam

lam recurrere necesse fuit. Ex præterea fuerunt angustiæ temporis, ut per eas e longinquo agi potuisse cuniculos, tantumque terræ egeri, quantum necesse fuit, haudquaquam credibile sit. Verum his omissis, una responsione totum hoc refellitur. Ajo enim vero petrosum fuisse solum hoc, ipsumque adeo Christi sepulchrum in rupe fuisse incisum; aut potius fuisse rupem ipsam ferro excavatam; adeo ut per subterraneos meatus penetrare illuc, res fuerit immensi operis, atque temporis. Quamquam etsi daremus solum sepulchri Christi terrenum fuisse, & satis otii, atque audaciæ Apostolis fuisse, ut vel per durum silicem, vel per molle ac fossile terrenum tam longos agere cuniculos possent: manifesta tamen in suffossa rupe, vel terra extitissent furti indicia, quæ nulla arte, vel humo ingesta, vel infartis lapidibus, ac cæmentis celari ab Apostolis potuissent. Atque adeo Judæorum Principes ad patefaciendam fraudem, refossa scrobe, Discipulorum cuniculos, palam haud dubie fecissent; neque absurdam illam suam de custodum sopore calumniam evulgassent.

Quid ergo? An alterum, loco Jesu ex eo tumulo surrexisse fabulabuntur?

At os illis in antecessum Matthæus cap. 27. v. 60. occlusit; Jesum in novo sepulchro positum notans, ubi nullus unquam conditus fuerat: Deo ita volente, ne forte post resurrectionem, cæteris corporibus remanentibus, resurrexisse alius homo fingeretur.

At si denique dicant, nil esse adeo mirum, a mortuis Christum resurrexisse cum de aliis haud paucis idem & Sacræ testentur litteræ, atque etiam eæ narrent quæ sacræ non sunt: ne de hisce posterioribus jam disputetur; demus enim vero vitam etiam alios recepisse; nihil tamen hæc ad Christum Jesum, qui ita revixit, ut jam amplius morti non sit obnoxius, juxta illud ad Romanos cap. 6. v. 9. *Christus resurgens ex mortuis jam non moritur, mors illi ultra non dominabitur:* alii vero ita morti exempti sunt, ut vitam iterum amiserint. Sic ergo quocumque se vertat misera Gens, non aliis tantum, sed & sibi ipsi facultatem ademit, Dominicæ Resurrectionis veritatem labefactandi. Quanto enim diligentius sibi cavit, ne fraus sibi ab Apostolis fieret, exciso in rupe sepulchro, ingenti advoluto lapide, atque signato, appositis ad custodiam satellitibus, ne Discipuli surrepto clanculum corpore, credulitati plebis illuderent; tanto luculentius sibi negandæ resurrectionis,

rectionis, fraudisque Discipulis objectandæ potestatem eripuit, ubi semel resurrectio facta est. Unde in irritum cadunt, quæcunque inde adversus reditum Christi ad vitam miseri viri tela procuderunt.

Messias post resurrectionem in cœlum gloriose ascensurus erat. Psalm. 23. v. 7. & sequent. שאו שערים ראשיכם והנשאו פתחי עולם ויבוא מלך הכבוד : מי זה מלך הכבוד יהוה עזוז וגבור יהוה גבור מלחמה : שאו שערים ראשיכם ושאו פתחי עולם ויבא מלך הכבוד : מי הוא זה מלך הכבוד יהוה צבאות הוא מלך הכבוד : *Elevate portæ capita vestra, & elevatæ vos fores sæculi ; & introibit Rex gloriæ. Quis iste Rex gloriæ? Dominus fortis, & potens, Dominus potens belli. Elevate portæ capita vestra, & elevate vos fores sæculi, & introibit Rex gloriæ. Quis ipse iste Rex gloriæ? Dominus exercituum, ipse Rex gloriæ.* Vel, ut habetur in vulgata nostra: *Attollite portas Principes vestras, & elevamini portæ æternales, & introibit Rex gloriæ. Quis est iste Rex gloriæ? Dominus fortis, & potens, Dominus potens in prælio. Attollite portas Principes vestras, & elevamini portæ æternales, & introibit Rex gloriæ. Quis est iste Rex gloriæ? Dominus exercituum ipse est Rex gloriæ.* Hæc quippe verba, ut perspicuum est, Jesu Christi ascensionem significant. Ipse enim, ut Scriptores Novi Testamenti testantur, post gloriosam resurrectionem suam victor mortis, peccati, ac Dæmonis opulentas de inferno referens manubias, Sanctorum Patriarcharum, aliorumque electorum animabus, & innumeris Angelis stipatus, ad cœlum ascendit. Præcedunt quidem ad januas Angeli, atque ad eos, qui intus portæ custodes assidebant, Angelos, conversi elata voce clamant, ut portas aperiant, atque elevent; Rex enim gloriæ triumphans advenit, in regnum suum ingressurus. Angeli, qui in cœlo aderant, quique ut nonnulli eruditi viri censent, nondum Jesum Christum nostra indutum humanitate, ac in humillimo Incarnationis illius, & vitæ ejus in terris doloribus omnibus cumulatissimæ statu cognoverant, ad nuntium hoc admiratione perciti, sciscitantur; quis est iste Rex gloriæ? Sed, qui foris urgebant, hunc exercituum esse Deum, Omnipotentem Dominum, responderunt, ac festinarent proinde æternales portas attollere, ut Rex gloriæ magnificas ædes suas ingrederetur. Eodem ferme pacto, ac Isaiæ cap. 63. v. 1. beati iidem spiritus gloriæ Christi splendorem admirati ultro, citroque percontantur: *quis est iste, qui venit de Edom,*

Edom, tinctus vestibus de Bosrah? Iste formosus in stola sua, gradiens in multitudine fortitudinis suæ.

Psalm. 46. v. 6. & 9. ..... עלה אלהים בתרועה יהוה בקול שופר
מלך אלהים על גוים אלהים ישב על כסא קדשו *ascendit Deus in jubilo: Dominus in voce tubæ ..... Regnavit Deus super Gentes: Deus sedet super thronum sanctitatis suæ.* Psalm. 67. v. 5. & sequent. שירו לאלהים זמרו שמו סלו לרכב בערבות ..... עלית למרום
שבית שבי לקחת מתנות באדם ..... ממלכות הארץ שירו לאלהים
זמרו אדני : לרכב בשמי שמי קדם *cantate Deo, psallite nomini ejus, exaltate eum qui ascendit super cælos ..... Ascendisti in excelsum, captivam duxisti captivitatem, accepisti dona in hominibus ..... Regna terræ cantate Deo, psallite Domino ascendenti in cælis cælorum ab oriente.* Michææ cap. 2. v. 13. עלה הפרץ לפניהם
פרצו ויעברו שער ויצאו בו ויעבר מלכם לפניהם ויהוה בראשם *ascendit effractor ante eos; effregerunt, & transierunt portam, & egressi sunt per eam: & transivit Rex eorum ante eos, & Dominus in capite eorum.*

Quid plura? Messiam in cœlum gloriose ascensurum fuisse, Judæorum quoque Doctor, quem ipsi Rabbenu Haccados, magistrum nostrum sanctum vocant, disertis verbis scripsit, apud nostrum Galatinum, in libro quem *Gale razeja*, hoc est, revelatorem arcanorum appellavit: *versabitur autem Messias*, inquit ille, *post resurrectionem suam cum justis, qui audient præcepta ejus* 40. *diebus in figuram illorum* 40. *dierum, quibus erit in deserto ad affligendam animam suam, antequam eum occidant. Et his peractis ascendet in cælum, sedebitque ad dexteram Dei, sicut dictum est* Psalm. 110. *dixit Deus Domino meo, sede ad dexteram meam*. Merito igitur, Jesum nostrum post resurrectionem suam ad cœlum gloriose ascendisse, & credimus, & confitemur.

Quæ porro, & quanta ascensus hujus gloria fuerit, ex duobus prælertim capitibus colligi potest. I. ex termino ejusdem ascensionis. II. ex fructibus, seu effectibus inde consequutis.

Tam prodigialis, tam stupendi ascensus terminus fuit consessus ad dexteram Patris, Marco cap. 16. v. 19. attestante: *assumptus est in cælum, & sedet a dextris Dei*. Qua loquendi formula absit, ut Antropomorphitarum errorem insinuatum putemus, Deo humana membra adscribentium; sed parem cum æterno Patre regnandi, judicandique potestatem intelligere oportet, ipsi etiam huma-

humaniti Christi concessam: *& potestatem dedit ei* (Pater) *judicium facere, quia filius hominis est*, Joan. cap. 5. v. 27. Quod certe singulare Christi privilegium fuit, quo vicit, ac superavit Angelos universos: *ad quem autem Angelorum dixit aliquando: sede a dextris meis?* inquit Paulus ad Hebræos cap. 1. v. 13. Quare sicubi in Sacris litteris legimus, sanctos regnare cum Christo, eosdemque sessuros super sedes duodecim; sicque judicaturos duodecim Tribus Israel: hos inferiori longe gradu, & sessuros, & judicaturos intelligere præstat; ac veluti Christi supremi judicis servos, & administros.

Fructus deinde mirandi hujus in cœlum ascensus, non unus, aut alter extitit, sed longe multiplex. Primus, missio Spiritus Sancti in Apostolos, de qua mox verba faciemus; unde Christus sæpius eosdem alloquens ajebat; *expedit vobis ut ego vadam, si enim non abiero, Paraclitus non veniet ad vos*, Joan. cap. 16. v. 7. secundus, apertio regni cœlorum, cujus nobis januam Protoparentis inobedientia clauserat; nemo enim hominum ante Christum cœlesti felicitate potitus est. Tertius, erectio spei nostræ; ut quo pervenit gloria capitis, eo tendat membrorum affectus. Quartus, jugis Christi ad Patrem pro nobis interpellatio; Advocati enim officio defungitur ex hoc loco Epist. I. Joan. cap. 2. v. 1. *Advocatum habemus ad Patrem, Jesum Christum justum*. Quintus denique, supremæ potestatis suæ manifestatio, juxta Apostoli dictum ad Ephesios cap. 4. v. 10. *ascendit super omnes cœlos, ut impleret omnia*. Nempe, ut sicut signis supremæ potestatis suæ terram impleverat, quam sanctificavit; inferos, quos spoliavit; ita & cœlos, ubi regnat, impleret.

Messias missurus erat Spiritum Sanctum super Apostolos, aliosque Discipulos, necnon super conversos ac baptizatos ex Judæis, & Gentibus. Isaiæ cap. 32. v. 15. עד יערה עלינו רוח ממרום *donec effundatur super nos spiritus de excelso*. Et cap. 44. v. 3. כי אצק מים על צמא ונזלים על יבשה אצק רוחי על זרעך וברכתי על צאצאיך *quia effundam aquas super sitientem, & fluenta super aridam: effundam spiritum meum super semen tuum, & benedictionem meam super prognatos tuos*. Ezechielis cap. 36. v. 26. & 27. ונתתי לכם לב חדש ורוח חדשה אתן בקרבכם והסרתי את לב האבן מבשרכם ונתתי לכם לב בשר : ואת רוחי אתן בקרבכם ועשיתי את אשר בחקי תלכו ומשפטי תשמרו ועשיתם *& dabo vobis cor novum, & spiritum novum dabo*

in

in medio vestri: & amovebo cor lapideum de carne vestra, & dabo vobis cor carneum. Et spiritum meum dabo in medio vestri, & faciam ut in praeceptis meis ambuletis, & judicia mea custodiatis, & faciatis. Et cap. 39. v.29. ולא אסתיר עוד פני מהם אשר שפכתי את רוחי על בית ישראל נאם אדני יהוה *& non abscondam ultra faciem meam ab eis, quia effudi spiritum meum super domum Israel, dixit Dominus Deus.* Joelis cap. 3. v. 1. & 2. והיה אחרי כן אשפוך את רוחי על כל בשר ונבאו בניכם ובנתיכם זקניכם חלמות יחלמון בחוריכם חזינות יראו : וגם על העברים ועל השפחות בימים ההמה אשפוך את רוחי *& erit post hæc, effundam spiritum meum super omnem carnem, & prophetabunt filii vestri, & filiæ vestræ: senes vestri somnia somniabunt; juvenes vestri visiones videbunt. Et etiam super servos, & super ancillas in diebus illis effundam spiritum meum.* De Christo, & Spiritus Sancti ab ipso missione in Apostolos, & Discipulos, hæc Joelis verba intelligenda esse, docet nos Petrus in Actis Apostolorum cap.2.v.15. 16. 17. & 18. Cujus interpretationem, ut par est, amplectuntur Patres omnes, & tota qua late patet Ecclesia Catholica. Et ex Judæis R. Saadias Gaon in libro Fidei, & R. Machir in pulvere Aromatico, aliique Rabbinorum eruditissimi hæc ad Messiæ tempora pertinere fatentur. Zachariæ demum cap. 12. v.10. ושפכתי על בית דויד ועל יושב ירושלם רוח חן ותחנונים והביטו אלי את אשר דקרו *& effundam super domum David, & super habitatores Jerusalem spiritum gratiæ, & precum, & aspicient ad me quem transfixerunt.*

Cæterum, Messiam Spiritum Sanctum super Apostolos missurum fore, celeberrimus etiam ac vetustissimus Hebræorum Princeps & Doctor R. Jehuda Haccados, toties jam appellatus, in libro qui *Gale razeja*, hoc est, revelans arcana inscribitur, clarissime prædixit, dum ad sextam Antonini Consulis Urbis Romæ petitionem, hæc inter cætera respondit: *post dies vero decem a sua scilicet ascensione, ad perfectionem 50. dierum mittet Spiritum Sanctum de cælis, super justos, ut in fide ejus confirmentur. Moxque illis præcipiet, ut eant, doceantque omnes homines legem ejus, quemadmodum dictum est* Ezechielis cap. 36. *& spiritum meum dabo in medio vestri, & faciam, ut in præceptis meis ambuletis, & judicia mea custodiatis, & faciatis ea. Horum autem 50. dierum figura fuerunt illi 50. dies quibus Israel agnum Paschalem occidit, & exiit de terra Ægypti, in quibus Deus sanctus & benedictus misit Spiritum Sanctum super eos, deditque eis legem sanctam, ut essent firmi in fide ejus, sicut scriptum est* Exodi 19. *jam nunc veniam*

niam ad te in caligine nubis, ut audiat me populus loquentem ad te, & credat tibi in perpetuum. Hæc ille, ut supra eum laudavi, apud Galatinum, quem adversarii ipsi Rabbenu Haccados, idest, magistrum nostrum sanctum appellant.

Messias venturus est in novissimo die, multis prodigiis finem mundi antecedentibus, cum majestate magna vivos, & mortuos judicare. Jobi cap. 19. v. 25. & 26. ואני ידעתי גאלי חי ואחרון על עפר יקום: ואחר עורי נקפו זאת ומבשרי אחזה אלוה *& ego novi Redemptorem meum vivere, & novissimo super pulverem staturum. Et postquam pellem meam contriverint hanc: & de carne mea videbo Deum.* Isaiæ cap. 13. v. 9. & sequent. הנה יום יהוה בא אכזרי ועברה וחרון אף לשום הארץ לשמה וחטאיה ישמיד ממנה: כי כוכבי השמים ובסיליהם לא יהלו אורם חשך השמש בצאתו וירח לא יגיה אורו: ופקדתי על תבל רעה ועל רשעים עונם והשבתי גאון זדים וגאות עריצים אשפיל . . . . . על כן שמים ארגיז ותרעש הארץ ממקומה בעברת יהוה צבאות וביום חרון אפו *ecce dies Domini veniet crudelis, & indignationis, & iræ, furorisque, ad ponendam terram in solitudinem, & peccatores ejus disperdet ex ea. Quoniam stellæ cælorum, & oriones eorum non expandent lumen suum: obscurabitur sol in ortu suo, & luna non splendere faciet lumen suum. Et visitabo super orbem malum, & super impios iniquitatem eorum, & cessare faciam superbiam superborum, & superbiam formidabilium humiliabo . . . . . Idcirco cælum commovebo, & contremiscet terra de loco suo, propter iram Domini exercituum, & propter diem iræ furoris ejus.* Et cap. 66. v. 15. & 16. כי הנה יהוה באש יבוא וכסופה מרכבתיו להשיב בחמה אפו וגערתו בלהבי אש: כי באש יהוה נשפט ובחרבו את כל בשר *quia ecce dies Domini in igne veniet, & tanquam turbo quadrigæ ejus, reddere in indignatione furorem suum, & increpationem suam in flamma ignis. Quia in igne Dominus judicabit, & in gladio suo omnem carnem.* Danielis cap. 7. v. 9. & sequent. חזה הוית עד די כרסון רמיו ועתיק יומין יתיב . . . . . דינא יתב וספרין פתיחו . . . . . חזה הוית בחזוי ליליא וארו עם ענני שמיא כבר אנש אתה הוא ועד עתיק יומיא מטה וקדמוהי הקרבוהי: ולה יהב שלטן ויקר ומלכו וכל עממיא אמיא ולשניא לה יפלחון שלטנה שלטן עלם די לא יעדה ומלכותה די לא תתחבל *Videbam donec throni elati sunt, & antiquus dierum sedit . . . . . Judicium sedit, & libri aperti sunt . . . . . Videbam in visionibus noctis, & ecce cum nubibus cæli quasi filius hominis veniebat, & usque ad antiquum dierum pervenit, & coram eo obtulerunt illum. Et ei dedit potestatem, & gloriam, & regnum: & omnes populi, tribus, & linguæ ei servient: potestas*

testas ejus, potestas æterna, quæ non auferetur, & regnum ejus, quod non corrumpetur. Istud Vaticinium in posteriori Christi Jesu adventu implendum, ipsemet nos docuit Joan. cap. 5. v. 25. & sequent. *Amen, amen dico vobis, quia venit hora, & nunc est, quando mortui audient vocem filii Dei: & qui audierint, vivent. Sicut enim Pater habet vitam in semetipso: sic dedit & filio habere vitam in semetipso: & potestatem dedit ei judicium facere, quia filius hominis est. Nolite mirari hoc, quia venit hora, in qua omnes qui in monumentis sunt, audient vocem filii Dei: & procedent qui bona fecerunt in resurrectionem vitæ: qui vero mala egerunt, in resurrectionem judicii.* Et Matthæi cap. 26. v. 64. *amodo videbitis filium hominis sedentem a dextris virtutis Dei, & venientem in nubibus cœli.* Potestatem quoque sibi a Patre concessam testatur, Matthæi cap. 28. v. 18. *data est mihi omnis potestas in cœlo, & in terra.* Merito itaque Theodoretus hunc Danielis locum explicans, ait, *Prophetam evangelice revera potius & apostolice, quam prophetice, & ænigmatice hæc divulgasse.* Christianæ interpretationi Judaica consentit; filium enim hominis hic descriptum, Messiam esse traditur in libro Sanhedrin cap. ult., & in Beressith rabba, & in Midrasch Theillim. Ita intellexerunt R. Aben-Ezra, & R. Selomoh Jarchi; ita Saadias Gaon, & R. Abraham Seba in fasciculo myrrhæ: ita denique Josephus Jachiades in explicatione Danielis. Et cap. 12. v. 1. & 2. laudatus Sacer Vates ait: ובעת ההיא יעמד מיכאל השר הגדול העמד על בני עמך והיתה עת צרה אשר לא נהיתה מיהות גוי עד העת ההיא ובעת ההיא ימלט עמך כל הנמצא כתוב בספר : ורבים מישני אדמת עפר יקיצו אלה לחיי עולם ואלה לחרפות לדראון עולם *in tempore illo stabit Michael Princeps magnus, qui stat pro filiis populi tui: & erit tempus angustiæ, quod non factum est ex eo tempore quo fuit Gens usque ad tempus hoc: & in tempore illo liberabitur populus tuus omnis, qui inventus fuerit scriptus in libro. Et multi dormientes in terra pulveris evigilabunt: alii ad vitam æternam, & alii ad opprobria, ad contemptum sempiternum.* Joelis denique cap. 2. v. 1. & sequent. תקעו שופר בציון והריעו בהר קדשי ירגזו כל יושבי הארץ כי בא יום יהוה כי קרוב : יום חשך ואפלה יום ענן וערפל . . . . לפניו אכלה אש ואחריו תלהט להבה . . . . . לפניו רגזה ארץ רעשו שמים שמש וירח קדרו וכוכבים אספו נגהם . . . . . כי גדול יום יהוה ונורא מאד ומי יכילנו *clangite tuba in Sion, & vociferate in monte sancto meo: contremiscant omnes habitatores terræ; quia venit dies Domini, quia prope est. Dies tenebrarum, & caliginis, dies nubis, & tenebrositatis . . . . . Ante faciem ejus consumpsit ignis,*

ignis, & post eum exuret flamma . . . . . A facie ejus contremuit terra, moti sunt cœli: sol, & luna obtenebrati sunt, & stellæ retraxerunt splendorem suum . . . . . Quia magnus dies Domini, & terribilis valde, & quis sustinebit eum? Et cap. 3. v. 3. & sequent. ונתתי מופתים בשמים ובארץ דם ואש ותמרות עשן : השמש יהפך לחשך והירח לדם לפני בוא יום יהוה הגדול והנורא . . . . . וקבצתי את כל הגוים והורדתים אל עמק יהושפט ונשפטתי עמם שם על עמי ונחלתי ישראל אשר פזרו בגוים ואת ארצי חלקו . . . . . יעורו ויעלו הגוים אל עמק יהושפט כי שם אשב לשפט את כל הגוים מסביב : שלחו מגל כי בשל קציר באו רדו כי מלאה גת השיקו היקבים כי רבה רעתם : המנים המנים בעמק החרוץ כי קרוב יום יהוה בעמק החרוץ: שמש וירח קדרו וכבבים אספו נגהם : ויהוה מציון ישאג ומירושלם יתן קולו ורעשו שמים וארץ ויהוה מחסה לעמו ומעוז לבני ישראל *& dabo prodigia in cœlis, & in terra: sanguinem, & ignem, & elationes fumi. Sol convertetur in tenebras, & luna in sanguinem, antequam veniat dies Domini magnus, & horribilis . . . . . Et congregabo omnes Gentes, & descendere faciam eas in vallem Jehosaphat, & disceptabo cum eis ibi super populum meum, & hæreditatem meam Israel, quos disperserunt in nationibus, & terram meam diviserunt . . . . . Suscitent se & ascendant Gentes ad vallem Jehosaphat: quia ibi sedebo ut judicem omnes Gentes de circuitu. Mittite falcem, quoniam maturavit messis: venite, descendite, quia plenum est torcular, exuberant torcularia, quia multiplicata est malitia eorum. Populi, populi in valle concisionis: quia prope est dies Domini in valle concisionis. Sol, & luna obtenebrati sunt, & stellæ retraxerunt splendorem suum. Et Dominus de Sion rugiet, & de Jerusalem dabit vocem suam, & contremiscent cœli, & terra: & Dominus spes populi sui, & fortitudo filiorum Israel.* Et alia id genus pene sexcenta, quæ commemorare longum esset. Ex quibus perspectum est, Messiam Deum & hominem judicium universale facturum esse, atque in forma humana cum gloria, & majestate ad judicandum venturum.



DISSERTATIO DUODECIMA.



Efelluntur nonnulla Judæorum momenta, quibus conantur probare Christum Jesum Mariæ Virginis filium, non fuisse verum in veteri Testamento promissum Messiam.

Judæi non pauca Scripturarum Vaticinia, quæ ferme omnia mysticum in sensum sumenda veniunt, mortiferam more suo secuti litteram præpostere accipientes, postremo loco opponunt, ut necdum prophetias omnes impletas in Christo Jesu obtendant. Ajunt igitur I. Elias antecedere debet Messiæ adventum, ut habetur Malachiæ cap. 4. v. 5. הנה אנכי ש֗לח לכם את אליה הנביא לפני בוא יום יהוה *ecce ego mittam vobis Eliam Prophetam, antequam veniat dies Domini:* nemo autem cordatus dixerit Eliam Christi temporibus in mundo apparuisse.

II. Isaiæ cap. 2. v. 2. Messias venturus designatur in novissimis diebus, & in ejus adventu mons domus Domini elevandus dicitur super alios montes; & fore ut confluant ad eum omnes Gentes: והיה באחרית הימים נכון יהיה הר בית יהוה בראש ההרים ונשא מגבעות ונהרו אליו כל הגוים *& erit*, inquit Sacer Vates, *in novissimis diebus præparatus mons domus Domini in vertice montium, & elevabitur super colles, & confluent ad eum omnes Gentes:* at nondum venerunt novissimi illi dies; nec legimus montem Domini exaltatum supra montes alios; nec ad Christum fluxerunt omnes Gentes: non enim Saraceni, non Tartari, non alii multi ad eum per fidem convolarunt.

III. Isaiæ cap. 30. v. 26. tempore Messiæ lux solis septies major erit, lux vero lunæ instar lucis solis: והיה אור הלבנה כאור החמה ואור החמה יהיה שבעתים כאור שבעת הימים ביום חבש יהוה את שבר עמו ומחץ מכתו

מכתו ירפא *& erit lux lunæ ſicut lux ſolis, & lux ſolis erit ſeptempliciter ſicut lux ſeptem dierum, in die qua alligaverit Dominus contritionem pupuli ſui, & percuſſuram plagæ ejus ſanaverit:* at nondum viſa eſt lux ſolis ſeptuplo major, nec lux lunæ ſicut lux ſolis.

IV. Jeremiæ cap. 23. v. 6. in diebus Meſſiæ Juda ſalvandus dicitur, & Iſraelis pacifica & tranquilla futura habitatio: בימיו תושע יהודה וישראל ישכן לבטח *in diebus ejus ſalvabitur Juda, & Iſrael habitabit confidenter.* Porro in Judæis jamdiu diſperſis, & profugis nondum impletum iſtud videmus.

V. Denique, Ezechielis cap. 38. & 39. Meſſias Gog debellaturus dicitur: at iſte nondum apparuit; igitur Jeſus Mariæ filius, quem Chriſtiani venerantur, non fuit verus Meſſias divinis in litteris promiſſus.

Non eſt tamen difficile momenta hæc refellere. Ad id ergo, quod primo loco poſitum eſt dico, Malachiam intelligendum eſſe non de primo, ſed de ſecundo Meſſiæ adventu, quem reipſa præceſſurum credimus Eliam. Et vero de ſecundo adventu hic agi, verba ipſa ſatis aperte ſignificant לפני בוא יום יהוה הגדול והנורא *antequam veniat dies Domini magnus, & terribilis*, quod neutiquam quadrat in primum Chriſti adventum, qui fuit in humilitate, manſuetudine, abjectione, paſſione, plenus conſolationis & dulcedinis: & poſterior erit revera horribilis, tremendus, plenus terrorum, cum ſcilicet in majeſtate gloriæ ſuæ veniet Chriſtus judicaturus vivos, & mortuos, & unicuique bonum, vel malum, prout bene, vel male geſſerit, redditurus. Inſuper præmiſerat in Malachia Dominus v. 1. ejuſdem capitis: הנה היום בא בער כתנור והיו כל זדים וכל עשה רשעה קש ולהט אתם היום הבא אמר יהוה צבאות אשר לא יעזב להם שרש וענף *ecce dies venit ardens tanquam fornax: & erunt omnes ſuperbi, & omnes facientes impietatem, ſtipula: & inflammabit eos dies veniens, dixit Dominus exercituum, quæ non relinquet eis radicem, & ramum.* Hæc verba, niſi de ſuprema die apte nequeunt intelligi. Denique addit Dominus v. 6. פן אבוא והכיתי את הארץ חרם *ne forte veniam, & percutiam terram anathemate;* quod equidem nonniſi in ſecundum adventum fiet: nam in primo non venit Deus terram excommunicare, aut devovere, vel exſcindere, ſeu deſolare; ſed ſervare: non venit judicare, ſed judicari.

Quod ſi de primo Meſſiæ adventu Malachiam intelligendum eſſe urgeant, hunc Eliam dico Joannem eſſe, qui manifeſtationem Chriſti prænuntiavit, ſicut ipſemet Dominus teſtatus eſt Matth. cap. 11. v. 14. & Lucæ cap. 1. v. 17. reſque ipſa palam facit; & calamitates, quæ Judæis deinde acciderunt;

derunt; ad quaſque ſuperiora verba prophetica certiſſime, in ſuo implemento proximo, referuntur, aperte clamant.

Ad ſecundum: Meſſiæ tempus dicitur noviſſimum, ideſt, poſterius aut ſequens (hoc enim ſignificat hebraica dictio אחרית *bacharith*) etiam ſi proprie non ſit ultimum, & noviſſimum. Sic Jacob proximus morti filiis ſuis dixit Geneſeos cap. 49. v. 1. האספו ואנידה לכם את אשר יקרא אתכם באחרית הימים *congregamini, & annuntiabo vobis, quod eventurum eſt vobis in noviſſimo dierum*. Dies igitur Meſſiæ vocantur noviſſimi, non quia fuerint temporis finis, cum multa ſæcula poſt Chriſti nativitatem fluxerint; ſed vocantur noviſſimi comparate ad prima tempora, in quibus Patriarchæ, & Prophetæ tanquam ſtellæ in firmamento fulſerunt. Hinc eſt quod Paulus inquit ad Hebræos cap. 1. v. 1. & 2. *multifariam, multiſque modis olim Deus loquens Patribus in Prophetis: noviſſime diebus iſtis locutus eſt nobis in filio*, hoc eſt, in diebus iſtis noviſſimis. Et vocat noviſſima tempora per comparationem ad dies antiquorum Patrum. In eodem ſenſu accipe verba illa Pauli 1. ad Corinth. cap. 10. v. 11. *hæc autem omnia in figura contingebant illis: ſcripta ſunt autem ad correptionem noſtram, in quos fines ſæculorum devenerunt*. In quibus verbis alia nomenclaturæ noviſſimorum temporum ratio inſinuatur a Paulo, ratione Chriſti, qui eſt terminus antiquæ legis, & finis ultimus, in quem vaticinia, & tempora intendebant; & per denominationem ab illo, in quem tanquam ad finem in umbra Moſaicæ legis, divina diſpoſitione, præordinata ſunt tempora, dies vocantur extremi.

Nec ſolum his locis noviſſimi dies ſignificant quod diximus, ſed aliis quoque multis locis: nobis unum aut alterum indicaſſe ſatis fuerit. Apud Danielem in cap. 2. interpretaturus Daniel viſionem ſtatuæ, quam Rex Nabuchodonoſor in quiete viderat, præfatus eſt illud, *indicavit tibi, o Rex, quod futurum eſt in noviſſimo dierum*. Ubi illud *noviſſimo dierum*, ſignificat idem atque, *poſterioribus diebus*, qui tuam ætatem, tuumque imperium conſecuturi ſunt. Unde quod hic Daniel dixit: *in noviſſimo dierum*, paulo infra quaſi exponens dixit: *Deus oſtendit Regi quod futurum eſſet poſt hæc*, ergo idem eſt, quod futurum eſt *in noviſſimo dierum*, ac, *quod futurum eſt poſt hæc*, ideſt, poſt tuum imperium. Certe Monarchia Perſarum, quæ proxime ſubſecuta eſt imperium Chaldæorum, exorta eſt tribus tantum & ſexaginta annis poſt viſionem illius ſtatuæ, cujus pectus & brachia argentea, Monarchiam illam Perſicam figurabant: at vero Monarchia

Græco-

Græcorum significata per ventrem & femora ærea illius statuæ, post nondum expletos ab illa visione trecentos annos initium habuit. Alter locus est in Novo Testamento apud Paulum prioris Epistolæ ad Timotheum, capite quarto, & posterioris capite tertio; quibus locis prædicit fore, ut in novissimis diebus exurgant homines se ipsos amantes, deficientes a fide, attendentes spiritibus erroris, & doctrinis Dæmoniorum, &c. Novissimi autem dies significati a Paulo, fuerunt tempora proxime subsecuta ætatem Apostolorum.

Neque illa non optima sententia est, quæ exponitur a R. David Kimchi super secundum caput Isaiæ, quoties in Scriptura nominantur novissimi dies, vel dicitur, in fine, aut in termino dierum, significari tempus Messiæ; idemque scio docuisse Hieronymum, nostrum Lyranum, aliosque nec paucos, nec minutos Auctores: tempus autem Messiæ ac legis Evangelicæ propterea novissimum appellari, quod fuerit finis & terminus status Judaici, quantum ad legem, sacerdotium, & regnum; & finis prophetiarum ac figurarum Veteris Testamenti; & quia post legem Evangelicam non erat expectanda alia lex, nec aliud Sacerdotium, nec alia Sacramenta.

Cum vero Messiæ tempore mons domus Domini extollendus dicitur supra montes alios, figurata locutio est teste R. Salomone Isaiæ verba exponente, qua Messiæ, qui mons dicitur, exaltatio, & sublimitas super capita montium, ideſt, supra Sanctos Patres, designatur. Messiam porro montem dici, Sanctosque Patres montes appellari, traditur in *Beressith rabba*, hoc est, in expositione lib. Genes. super illud Genes. 38. dictum, *& egressus est Jacob de Bersabee*, ubi sic dicitur: *levabo oculos meos ad montes, unde veniet auxiliator meus, vel auxilium meum: hoc est quod scriptum est Zachariæ* 4. *quis tu mons magne coram Zorobabel? mons magnus iste est Messias. Et quare ipsum vocat montem magnum? quia major est quam Patres, sicut dictum est Isaiæ cap.* 52. *ecce intelliget servus meus, & elevabitur, & exaltabitur, & sublimis erit valde. Hic est Messias qui elevabitur plusquam Abraham, de quo dictum est Genes.* 14. *levabo manus meas ad Dominum. Et exaltabitur plusquam Moses, de quo dictum est Numer.* 11. *quia dicis mihi exalta eum in sinum tuum. Et sublimis erit valde, plusquam Angeli ministerii, de quibus dictum est Ezechielis* 1. *& sublimitas eorum, & sublimitas eis. Propter hoc dictum est Zachariæ* 4. *quis tu mons magne coram Zorobabel? Et cur dicit coram Zorobabel? quia de Zorobabele egressus est. Cur autem ait ad æquitatem? quia ipse futurus*

turus est ad arguendum cum æquitate, sicut dictum est Isaiæ 11. *cap. & judicabit cum justitia pauperes, & arguet cum æquitate mansuetos*. Alia expositio: *levabo oculos meos ad montes unde veniet auxiliator meus, vel auxilium meum: in die qua sedebit Deus sanctus, & benedictus in judicio cum Israel, ipsi erunt intendentes ad Patres, ut loquantur pro eis: sed non erit pater qui eruat filium, nec aliquis qui liberet fratrem suum: & hoc est, levabo oculos meos ad montes; hi sunt Patres, sicut dictum est Michææ 6. cap. audite montes disceptationem Domini*. Hactenus traditio. Ex qua non solum manifestum est, Messiam, Sanctosque Patres montes dici, verum etiam illam montis domus Domini elevationem figurate, & allegorice intelligendam esse, non autem secundum localem elevationem, ut nonnulli Judæorum perperam autumant, quemadmodum alibi etiam observavimus.

Cum pariter dicitur, Jesum non fuisse verum Messiam, eo quod ad eum omnes Gentes non fluxerint, respondemus dictionem hebraicam כל *col*, quæ quidem est quod *omnis*, vel *cunctus*, vel *totus*, vel *universus*, non ita stricte accipi apud Sacros Vates, & Theologos, sicut apud Dialecticos. Qua de re etsi multa divinis in scripturis comperiantur exempla, satis tamen sit pauca quædam adducere. In Psalm. namque 41. v. 8. ita legimus: כל משבריך וגליך עלי עברו *omnes confractiones tuæ, & fluctus tui super me transierunt*. Et Psalm. 117. v. 10. כל גוים סבבוני בשם יהוה כי אמילם *omnes Gentes circumdederunt me: in nomine Domini quoniam succidam eas*. Ubi non sanæ, ut opinor, mentis censendus esset, qui confractiones omnes, & fluctus quos Deus habet, sive tribulationum, sive maris intelligas, super Davidem, vel alium quempiam transisse assereret; atque omnes mundi Gentes ipsum, nemine deficiente, circundedisse, affirmaret. In libro quoque 2. Regum cap. 16. v. 22. ita dicitur ויבא אבשלום אל פלגשי אביו לעיני כל ישראל *& ingressus est Absalom ad concubinas patris sui in oculis omnis Israel*. Et rursus cap. 17. v. 14. ejusdem libri: ויאמר אבשלום וכל איש ישראל טובה עצת חושי הארכי מעצת אחיתפל *dixitque Absalom & omnis vir Israel: melius est consilium Chusai Architæ, præ consilio Architophel*. Non ideo tamen tam stupidus quisquam fuerit qui dicat, neminem de Israel ibi defuisse; vel qui Absalom cum flagitium illud perpetraret, non viderit; vel qui Chusai Architæ consilium non approbaverit. Quamvis enim *omnis Israel, & omnis vir* Scriptura dicat, credibile profecto est, multo plures de Israel absentes ibi fuisse, quam præsentes, iis consideratis, qui cum

Davide

Davide erant, & qui in cunctis finibus Israel remanserant. Hoc autem, & ex ipsius Chusai dicto liquet, cum eodem in capite v. 11. ad Absalom dixit: *congrega ad te omnem Israel a Dan usque Bersabee*. Quando igitur Scriptura sic loquitur, dictio hæc *omnis*, sæpe non pro cunctis, & singulis, sed pro multis accipitur. Quod & R. David Kimchi in libro *serassim*, hoc est, radicum, optime declarat dicens, כל *col*, idest, *omnis est vox comprehendens singula, & aliquoties partem multitudinis; ut illud Geneseos 41. & omnis terra venit in Ægyptum*. Et iterum 24. cap. *& omnia bona Domini in manu ejus*. Item 4. Regum 8. *& accepit munus in manu sua, & omnia bona Damasci*. Hæc ille. Ex his igitur perspectum est, vocem hanc hebraicam כל *col*, hoc est, *omnis*, sæpenumero Sacris in litteris non pro omnibus ac singulis, sed pro multis accipi. Qui quidem loquendi modus a cæteris quoque omnibus servari solet. Cum enim pars hominum magna alicujus civitatis ad spectaculum aliquod se confert, totam civitatem, aut omnes homines ipsius, vel etiam totum mundum eo concurrisse dicimus. Dictionem porro כל *col*, *omnis*, istic pro multis sumendam esse, ex ipsius etiam Isaiæ verbis manifestum est. Nam cum dixisset, *& confluent ad eum omnes Gentes*, illico seipsum, quasi explicans, subjecit: *& ibunt populi multi*. Hinc Michæas, qui coævus fuit Isaiæ, hæc eadem verba referens, Isaiam ipsum hoc in sensu locutum fuisse demonstrat, ita cap. 4. v. 2. dicens: ונהרו עליו עמים והלכו גוים רבים *& fluent ad eum populi, & ibunt Gentes multæ*. Frustra ergo opponunt Judæi: ad Jesum non fluxerunt omnes Gentes; ergo non fuit verus Messias.

Ad illud autem quod tertio loco objicitur: cum lux solis futura dicitur septuplo major, lux vero lunæ instar lucis solis tempore primi Messiæ adventus, ad litteram intelligi non potest, quia fulgorem solis ferre nullus posset, nec ulla superesset noctis umbra propter lunæ majorem claritatem. De secundo igitur adventu Messiæ in fine mundi verba Isaiæ debent exponi: tunc enim innovabuntur, & mutabuntur quodammodo corpora cœlestia, & tunc sanabitur percussura plagæ populi; quia tempore illo destruetur vulnus omnis corruptionis, miseriæ, tristitiæ, & mortalitatis per peccatum primorum Parentum inductum, omnesque homines resurgent ad vitam immortalem. Et vero sermonem hic esse de secundo Messiæ adventu in fine mundi, præsertim a commate vigesimo sexto usque ad postremum verba ipsa subsequentia satis aperte significant. Post enim laudata

Ff verba,

verba, illico divinus Vates subjicit : חנה שם יהוה בא ממרחק בער אפו וכבד משאה שפתיו מלאו זעם ולשונו כאש אכלת ורוחו כנחל שוטף עד צואר יחצה להנפה גוים בנפת שוא ורסן מתעה על לחיי עמים . . . . והשמיע יהוה את הוד קולו ונחת זרועו יראה בזעף אף ולהב אש אוכלה נפץ וזרם ואבן ברד : כי מקול יהוה יחת אשור בשבט יכה . . . . . כי ערוך מאתמול תפתה גם הוא למלך הוכן העמיק הרחב מדורתה אש ועצים הרבה נשמת יהוה כנחל גפרית בערה בה *ecce nomen Domini venit de longinquo, ardens furor ejus, & gravitas oneris: labia ejus repleta sunt ira, & lingua ejus tanquam ignis consumens. Et spiritus ejus velut torrens inundans, usque ad collum dimidiabit, ad agitandum Gentes in cribro vanitatis, & frænum errare faciens in maxilis populorum . . . . Et audire faciet Dominus gloriam vocis suæ, & descensionem brachii sui ostendet in indignatione furoris, & flamma ignis devorantis, dispersione, & turbine, & lapide grandinis. Quia a voce Domini conteretur Assur: in virga percutiet . . . . Quia parata est ab heri Topheth, etiam ipsa Regi præparata est: profundam fecit eam, dilatavit: pyra ejus ignis, & ligna multa: flatus Domini sicut torrens sulphuris ardentis in ea.* Quæ sane verba, nisi de extrema die apte possunt intelligi. Etsi doctissimi Hebræorum, inter quos Maimonides, lucem illam Isaiæ spiritualiter intelligunt de immensa ubertate gratiæ, quæ per Messiam afferenda sit.

Ad quartum: non aliud Judæis nostri temporis responsum damus, quam illud quod ipsi a suismet veteribus Magistris possunt accipere. Ajunt enim, Judam istic denotare confessionem, omnesque confitentes Salvatorem, sive Messiam per ipsum salvandos esse. Ita quippe legitur in *Beresith rabba*, hoc est, in expositione libri Geneseos, super illud 41. cap. ejusdem libri dictum: *& dixit Pharao ad Joseph, ego Pharao, & absque te non levabit vir manum suam . . . . . Dixit R. Aba, poterit ne dici quod Redemptor sit acceptator personarum? Absit: omnes enim confitentes eum ore suo, & operibus suis, & corde suo salvabit, & liberabit, sicut scriptum est Jeremiæ* 23. cap. *in diebus ejus salvabitur Juda*, hoc est, *confitentes eum salvabuntur. Et sic ipse ait* apud Isaiam 45. cap. *convertimini ad me, & salvabimini omnes fines terræ. Et iterum dicit ibidem, quia mihi flectetur omne genu, & jurabit omnis linguâ. Et de ipso quoque scriptum est* Isaiæ cap. 40. *dedi te in lucem Gentium, ut sis salvatio mea usque ad fines terræ.* Hactenus traditio. Ex qua constat, quod laudatis in Jeremiæ verbis, cum inquit, *in diebus ejus salvabitur Juda*, Juda,

da, non pro Judæis perfidis verum Messiam diffitentibus, sed pro omnibus quibuscumque Salvatorem ipsum confitentibus, sumitur : & quod omnes eum corde, ore, & opere confitentes, salvabuntur. Juda enim Dei confessio interpretatur: nam יה *ja*, idem est quod Deus, & הודה *huda* confessio: unde componitur יהודה, idest, Juda, quod idem est, ac Dei confessio. Quemadmodum ergo per præmissam traditionem in verbis illis Jeremiæ, *in diebus ejus salvabitur Juda*, per *Juda* non ipsi Judæi intelliguntur, sed omnes Messiam confitentes: ita in eisdem verbis cum continuo sequitur, *& Israel habitabit confidenter*, *per Israel* eadem ratione, non homines de populo Israelitico, intelligendi sunt, sed omnes Deum videntes, hoc est, omnes tam de Gente Israelitica, quam de cæteris Gentibus, qui Messiam ipsum verum Deum & hominem fide & opere visuri, atque recepturi; nec non corde, ore, opere confessuri erant: ut fuerunt Apostoli, & reliqui tam ex Judæis, quam ex Gentibus ad Christum conversi, qui Christum videntes, Deum verum humana carne indutum viderunt.

Ad quintum: verum quidem est, Jesum nostrum verum Deum contra Gog primarium Antichristi exercitus Ducem, pugnaturum: ac tandem Antichristum, cum Gog delendum a Jesu nostro oris sui gladio, juxta illud Isaiæ cap. 11. vers. 4. והכה ארץ בשבט פיו וברוח שפתיו ימית רשע *& percutiet terram virga oris sui, & in spiritu labiorum suorum interficiet impium*. Sed enim toto cœlo miseri Judæi aberrant, cum putant hæc omnia ingentia prælia Gog futura in primo Messiæ adventu, quem ipsi adhuc falso, & infeliciter præstolantur: confundentes, ut alibi observavimus, duos Messiæ adventus, alterum humilem in carne passibili: gloriosum alterum, & majestate plenissimum in fine sæculi, quo tempore vaticinia Ezechielis de bello, cladeque Gog fore complenda dicimus.

Nec mirum sane videri debet quod Ezechiel, tot jam ante sæculis quam veniat, nomen proprium illius Principis, nempe Gog, sub Antichristo venturi, tum expresserit: nam in rebus maxime memorabilibus, solent divini Vates interdum, & nomina ipsa futurarum personarum edicere. Sic anonymus ille Propheta Jeroboamo Regi Israelis ad aras idolis thus facienti nomen Josiæ Regis Juda pronuntiavit, trecentis quinquaginta annis antequam is nasceretur, lib. 3. Regum cap. 13. v. 2. & Isaias cap. 44. v. 28. & cap. 45. v. 1. Cyrum nominat centenis atque septuaginta priusquam Cyrus esset in

 rerum

rerum natura. Et idem Isaias, ut vidimus circa finem capitis decimi, testes se adhibuisse, ait cap. 8. v. 2. Uriam, & Zachariam, nempe centum, & amplius annis antequam ii nati essent.

Si alicui forte responsum istud non arrideat, istud alterum sibi habeat: gratis nimirum omnino fingi a Judæis, Messiam debellaturum esse Gog, & Ezechielem cap. 38. & 39. de Messia verba facere. Hoc quippe inficiari omnino possumus: nec Judæi unquam ostendent: quod si fecerint, erunt illi mihi magni Apollines. En tibi uno verbo enervatum illum Judæorum Achillem.

Omnibus ex iis divinæ Scripturæ locis, quæ de innumeris pauca selegimus ea conficitur summa ratiocinationis, quæ Judæorum obstinatos in perfidiam & exitium animos pervincere bene & attente cogitata potest. Certum quippe esse debet Jesum Mariæ Virginis filium esse verum Messiam, si in illum concurrant omnes notæ, omniaque prorsus signa, quibus in Veteris Testamenti oraculis, & prophetiis conditio veri Messiæ descripta reperitur; cum enim talia signa Prophetarum vaticiniis eo præmissa fuerint a Deo, ut his Messias aliquando in mundo venturus, sine ullo errore, ac sine magna difficultate cognosci, deprehendique posset; sane fatendum est eum, in quo illa omnia convenerint, esse verum Messiam in Veteri Testamento prædictum, ac promissum: at in Christum Jesum, quem Christiani venerantur, adamussim conspirant omnes notæ, omniaque prorsus signa, quibus Prophetæ veri Messiæ conditionem, & statum depinxerunt. Hoc facile demonstratur. Primum nullus alius adduci potest, in quem tot oraculorum exitus, ac veri Messiæ signa congruant. Horum ista sunt exploratissima: Judæ Tribus sceptro, idest, imperio, vel civili jure, ac potestate destituta: Civitatis Jerosolymæ, ac Templi, & Sanctuarii vastatio: sacrificiorum, ac rituum omnium legalium, qui certo loco circumscripti erant, peremptio: Gentilium ad verum Deum, quem Patriarchæ, ac Prophetæ, & Israelitæ coluerunt conversio; & idololatriæ profligatio: denique intervallum annorum 490., quod ab instaurato Templo jussu Persarum Regis usque ad Messiam Ducem, & ejus obitum, explicatum iri Daniel cap. 9. prædixit. Hæc signa nullum in alium dico competere, quam in Jesum Mariæ Virginis filium. Nam nullus alius novam legem introduxit, pactumve novum, ac religionem, in qua Deus Abrahami, Isaaci, & Jacobi pro vero, & unico Deo colatur: quaque admissa, & accepta lege Gentes idolorum superstitioni hactenus deditæ, illum sibi

Deum

Deum asciviſſe dicantur. Nullus item alius nominari poteſt, in quem notata illa propheticis oraculis intervalla deſinant: quique ſubinde poſt illa completa initium iis dederit, quæ ſtatim ſubſecutura monſtrantur. Etenim Muhammedes, quem Saraceni jactare poterant, ſex propemodum ſæculis poſtea prodiit: cum amplius bis ſeptuaginta hebdomadibus ab Templi ſecundi conditu eſſet exhauſtum: quo temporis ſpatio longe lateque propagata erat Chriſtiana religio; & Judaicis extinctis cæremoniis; nec non idolorum per totum Romanum orbem, & in pleriſque aliis regionibus ſervitute ſublata; ſummus ille Deus, qui in ſola Judæa notus antea fuerat, ab Gentibus adorabatur.

Recte autem Tertullianus in libro contra Judæos, ſexto capite ſcribit, *non potuiſſe ceſſare legem antiquam, & Prophetas, niſi veniſſet is, qui per eandem legem, & per eoſdem Prophetas venturus annuntiabatur.*

Huc accedunt alia Prophetarum prædicta de Meſſia, quæ adamuſſim quadrant in Chriſtum Dominum. Velut ortus illius de Bethleemi oppido, nomen, mores, dignitates, acta, caſus vitæ univerſi, ejuſdem cruciatus, mors, & eo ſpectantia reliqua, ſepultura, reſurrectio, triumphalis aſcenſio in cœlos, & omnes denique characteres, quibus diſcerni, & diſtingui potuit. Quanquam vero horum ſignorum aliquod aliis forte a Chriſto Jeſu accomodari queat; puta ſi quem alium vel Bethleemi natum reperias, vel Prophetam, vel Sacerdotem, vel Paſtorem, vel Concionatorem, vel pacificum, vel ſanctum, vel humilem, vel pauperem, vel Principem, vel Regem, vel fortem, vel legumlatorem, vel inique a falſis teſtibus accuſatum, vel flagellis cæſum, vel turpiſſima morte extinctum: pleraque tamen ſunt quorum exitus in nemine alio, quam in Jeſu Mariæ Virginis filio oſtendi poteſt; & nemo alius eſt; ſi veteres replicemus memorias, cui conveniant univerſa. Sacra quædam Veteris Teſtamenti oracula Prophetæ ſuo Muhammedo accomodare conati ſunt Saraceni, ſed quod ex iis, propter paucitatem, nihil certi colligegere ſe poſſe cernerent, in uno Alcorano omne doctrinæ ſuæ præſidium poſuerunt.

Quæ ſi quis caſu dumtaxat atque fortuito ea in Dominum noſtrum ſimul concurriſſe dicat, caſum ejuſmodi in rerum natura aliquando contigiſſe oſtendat: cujus nulla omnino exempla vel recens præbet, vel vetus hiſtoria. Deinde, caſus & fortuna, ut alibi obſervavimus, ordi-

ordinem nesciunt, nec modum tenent ullum, nec habent constantiam: in uno aut altero semel atque iterum locum habere possunt, in omnibus autem, & semper, & eodem modo versari non possunt. Porro cum Prophetarum oracula, ut modo diximus, quasi quædam certa signa, & indicia Messiæ, eo præmissa fuerint a Deo, ut his Messias in mundum aliquando venturus, sine ullo errore, & sine magna difficultate deprehendi, & cognosci posset: hæc autem signa, & tanquam insignia Messiæ, plane omnia in Domino Jesu reperta fuerint, necesse est confiteri Judæos, aut Dominum Jesum verum esse Messiam, aut fuisse illa signa incerta & fallacia: videlicet quibus homines, etiam docti & acuti, citra ipsorum culpam in gravissimum errorem colendi pro Messia, non verum Messiam inducerentur.

Addenda ad Dissertationem secundam post locum Ruperti Abbatis.

AT erit qui dicat: Daniel in calce suæ prophetiæ, nimirum cap. 12. v. 8. & 9. ait: ואני שמעתי ולא אבין ואמרה ארני מה אחרית אלה : ויאמר לך רניאל כי סתמים וחתמים הרברים ער עת קץ *& ego audivi, & non intellexi: & dixi, Domine, quid* (in) *novissimo horum? Et dixit, vade Daniel; quia obtrusa* (sunt,) *& signata verba usque ad tempus finis*. Vel, ut in Vulgata nostra Versione legitur: *& ego audivi, & non intellexi: & dixi, Domine mi, quid erit post hæc? Et ait: vade Daniel, quia clausi sunt, signatique sermones usque ad præfinitum tempus*. Si autem tantus Propheta audivit, & non intellexit, quid faciunt hi, qui signatum librum, & usque ad tempus consummationis, multis obscuritatibus involutum præsumptione mentis reclusum a se iri confidunt? Non est igitur quod Christiani quæ sunt nono capite ab v. 24. usque ad postremum versiculum ejusdem capitis, velint accipi de Messia, atque inde certissime colligi tempus quo sit ille venturus.

Respondeo, vanum esse argumentum, ex verbis ductum quæ sunt capite duodecimo, ad ea quæ capite nono dicta sunt. De iis quæ ibi prædicuntur dictum est ab Angelo, clausos esse usque ad præfinitum tempus sermones. De iis vero quæ hic, idest, nono capite, cum aperte ac distincte Propheta doceatur, quis dicat clausos fuisse tum illos sermones, cum maxime aperirentur? Alioqui, si adeo clausi sunt ut nequeant intelligi, cur igitur absque dubitatione ab Hebræis exponuntur in *Seder olam*? Et ex auctoritate etiam R. Jose ad eumdem fere nobiscum temporis cardinem perducuntur. Ergo possunt intelli-

gi.

gi. Fateor non æque semper exposita fuisse Prophetis minutatim, quæ ipsis revelabantur. Aliquando etiam peculiari indigebant revelatione, ut ea exactius intelligerent. Ea perspicuitas, quæ nobis hodie est in plerisque prophetiis, quæ ad Jesum nostrum, & Ecclesiæ institutionem spectant, mera caligo, tenebræque erant ferme inviæ, antequam adimplerentur. Hoc ipsum dicendum est de iis omnibus, quæ ad Antiochi persecutiones spectabant. Hæc ferme inexplicabilia Judæis erant, antequam adimpleta fuissent; quemadmodum nobis ardua, atque caligine multa obsita sunt ea, quæ Antichristi persecutiones respiciunt. Quanquam igitur Daniel ea omnia non acceperit singillatim explicata, quæ sunt in illo ultimo capite duodecimo, non sequitur, eum non agnovisse, quæ in præcedenti capite nono & audivit, & extullit aperte.

Sed instabit fortasse ille idem adversarius: quare igitur Angelus non pariter edisseruit Danieli, quæ sunt circa finem prophetiæ, sicut illa explicaverat superiora?

Respondebo, hunc virum desideriorum cupiisse quidem cognoscere futura in populo Dei, sed non semper Deo placuisse, ut omnia æque aperte scriptis traderentur a Prophetis. Hæc autem Angeli ad Danielem ultima, nihil esse aliud quam revelationem Danieli factam, nolle Deum eo tempore prodi cognoscique clarissima in luce, quæ post ea tempora futura essent, de quibus temporibus loquitur prophetia duodecimi capitis. Cui Dei voluntati quis dubitet promptissimum acquievisse Prophetam? Similiter Adorandus noster Salvator, Discipulis curiose interrogantibus, de tempore secundi adventus sui, & an esset proxime restituendum Regnum Israel, immoderatam eorum sciendi cupiditatem compescens dixit: *non est vestrum nosse tempora, vel momenta, quæ Pater posuit in sua potestate*, Actu. cap. 1. v. 7. Uno verbo: tota ratio facti, ut egregie & perbelle docent Theologi, est voluntas facientis.

Si quid in hoc opere humana tenuitas deliquit, lubens subjicio correctioni Sanctæ Matris Ecclesiæ, & Eruditorum meliori judicio.

Si quid autem sit boni, id in gloriam cedere volo Regis Regum Jesu Nazareni, cui & acceptum refero; intercessione Beatissimæ Genitricis ejus Virginis Mariæ, & carissimi semperque mihi Venerandi Patris Sancti Francisci.

FINIS.

LECTOR BENEVOLE.

SAtis memini me esse pollicitum, scilicet ad paginam hujus operis 183. fore ut haberes disputationem peculiarem de loco Isaiæ qui legitur 7. cap. v. 14. eamque disputationem, ut quæ mea non esset, in fine libri a me collocatum iri. Eramque in eo ut starem promissis. At, quoniam Typographus ostendit, suis rationibus conducere, quidquid adhuc impressum est, sibi ut edere liceat; neque humanum arbitror commodis ejus præfracte obsistere: fit inde, ut cogar quidquid illius disputationis est pati, nunc quidem, abesse a meo libro; cum tamen in animo habeam eam ipsam haud multo post, ceu alteram partem totius operis edere: adeoque differre potius rem quam auferre. Quod tamen hic te monitum volui, ut me, qui ob justas, ut puto caussas, mutaverim consilium, excusatum haberes.

NOI

RIFORMATORI

DELLO STUDIO DI PADOA.

AVendo veduto per la Fede di Revisione, ed Approvazione del P. F. Paolo Tomaso Manuelli *Inquisitor Generale del Santo Officio di Venezia nel Libro intitolato:* Dissertationes, quibus Judæorum errores, falsaque de promisso sibi Messia præjudicia refelluntur, F. Joannis Clementis Cecchetti de Centrale, Ord. Min. Observantium, Provinciæ D. Antonii, *non v'essere cosa alcuna contro la Santa Fede Cattolica; e parimente per Attestato del Segretario Nostro, niente contro Principi, e buoni costumi: concediamo Licenza a* Pietro Antonio Berno *Stampator di Vicenza, che possi esser stampato, osservando gli Ordini in materia di stampe, e presentando le solite Copie alle Pubbliche Librarie di Venezia, e di Padoa.*

Dat. li primo Giugno 1749.

[
[BARBON MOROSINI Cav. Proc. Rif.
[MARCO FOSCARINI Cav. Proc. Rif.

Registrato in Libro a c. 5. *al num.* 50.

Michiel Angelo Marino Segr.

